




1005

2328 002-

2604

15.16









CHRISTIANUS THOMASIVS, I^{Ct},
Universitatis Hallensis, et Consiliarii Regi,
Mordar opprobriis falsis, mutemque colores
Quid verum atque decens, curo et rogo, &c omnis in hoc sum
Horat. 1. Epist. 1 et 16.

CHRISTIANI THOMASII,
JCTi, Regiae Majest. Borussiae Consiliarii,
in Universi. Fridericiana P. P. dictaque Univ.
& Facult. ibidem Juridicæ

Senioris,

INTRODUCTIO IN

PHILOSOPHIAM MORALEM,

Sive

DE

A R T E

RATIONALITER ET VIRTUOSE
AMANDI,

tanquam unicâ viâ ad vitam
beatam, elegantem ac tranquillam
perveniendi,

CUM PRÆFATIONE,

In quâ inter alia Autor colloquiorum curiosorum
menstruorum amicè monetur arque oratur, ne de rebus
captum suum transcendentibus judicet, sed Auto-
rem tandem missum faciat;

EDITIO NOVISSIMA

auctior & correctior.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Prostat venalis in Officina Libraria RENGERIANA:

1706.

СИГИЗМОНД
СВЯТОЙ

СИГИЗМОНД
СВЯТОЙ
МОСКОВСКИЙ


СИГИЗМОНД
СВЯТОЙ
МОСКОВСКИЙ



L 25,

**SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
JOHANNI
GEORGIO
PRINCIPI ANHALTINO,
DUCI SAXONIÆ, ANGRIÆ ET
WESTPHALIÆ,
COMITI ASCANIÆ,
DOMINO SERVESTÆ ET
BERNBURGI,
MARCHIÆ ELECTORALIS
BRANDENBURGICÆ
SUMMO LOCUMTENENTI
ET
ARCHI-CAMPIMARESCHALLO
PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO.**





SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME

TE VENERA ANGELA SAXONIA

AESTHYNIA

CORNUTA ACCAMIA

DOMINGO MARIA FESTA TE

BLASPHEMIA



*T*si hominum animi distinctis
simis & fere infinitis modis
mundum obiter contemplati
mixti videantur, negari ta-
men non potest, plures non da-
ri nisi quatuor Passiones dominantes sive Affe-
ctus primarios, eorum permixtione varia-
tes reliquorum Affectuum omnium, sive bono-
rum sive malorum oriuntur, omniaque homi-
num ingenia, eorumque inde derivatae cogi-
tatio-

DEDICATIO.

tationes dijudicari possunt. Quorum primus
est is, qui ad summam felicitatem ducit, Amor
nempe rationalis aliorum hominum. Reli-
qui tres sunt Amor Voluptatis, Amor vanæ
glorie, & Amor pecunie. Hi tres affectus per
se amori irrationali annumerantur, homi-
nemque sub specie veræ beatitudinis, à tran-
quillitate animi in perpetuam inquietudinem
abducunt, et si hi vel longius vel proprius ab
amore rationali distent. Ac Amor quidem
Voluptatis omnium proxime ad amorem ra-
tionalem accedit, eo quod plerumque saltem
cum candore & commiseratione conjunctus
esse solet, & ut verum fateamur, non tam
aliis quam sibi ipsi incommodat. Amor va-
ne glorie paullo longius ab amore rationali
remotus est, ibi enim plus reperitur Invidie,
Immisericordie, Simulationis & Fallacie,
nam ambitiosi, ut ambitionem suam expleant,
nemini parcunt. Est tamen ejusmodi homi-
num adhuc aliquis in humana societate usus,
cum plerumque subili prædicti sint ingenio,
& quamdiu ab his, qui ipsis superiores sunt,
promotionem expectant, obedientiam ac offi-
cia talia illis exhibeant, que alias ab aman-
tibus præstari solent, denique erga hos, qui
eos venerantur, quamdiu hoc faciunt, bene-

DEDICATIO.

ficos sese prebeant. Sed Amor pecuniae nimis est irrationalis. Hic enim non tantum vitia ista omnia, que cum Ambitione conjuncta sunt, deprehenduntur, sed avari etiam nulli homini parcunt, quin egre ipsi faciant, dummodo unicum thalerum inde lucrari possint, cum ambitiosi hoc pro animi abjecti signo interpretatur essent. Quin avarus ad bonam rem nullam utiliter adhiberi potest, quandoquidem nulli homini unquam benefacit; Unde nonnemo avarum cum porco comparavit, ex quo nullus, nisi cum mactatus & occisus esset, usus expectari posset. Quomodo enim avarus aliis benefaceret, qui ipse loculo are replete insidens fame extinguitur? Imo nibil rationale avaritia inesse vel inde evidenter apparer, quod cum alias pares mutuo se amare soleant, item inter duos voluptuosos ac ambitiosos, si non verus, certe amor factus atque irrationalis deprehendatur, duo tamen avari, non solum mutuo se non ament, sed & exquisitissimo odio prosequantur. Haec vero observationes non in sana tantum ratione fundatae sunt, sed & divina Revelatio cum his manifeste concordat. Summa beatitudo consistit in Amore DEI & Proximi. Et quantumvis amor rationalis non aequa sit perfectus



DEDICATIO.

fectus ac Charitas christiana, amor tamen rationalis quidam quasi gradus est ad Charitatem Christianam perveniendi, & quemadmodum impossibile est, ut is DEUM amet, qui ne fratrem quidem amat; ita impossibile est, ut is Christiano amore alios prosequatur, qui ne rationaliter quidem eos amat. Rursus Voluptas, Ambitus & Avaritia sub appellatione concupiscentia carnis, superbia vite, & concupiscentia oculorum sapientius in Scriptura sacra tanquam vitia primaria representantur. Et sicut exempla in promptu sunt, quod homines bene poti Philosophorum auditoria intraverint, ut eos irridenter, ab iisdem autem prudenter de temperantia docentibus à voluptate abstracti & ad sapientiam traducti fuerint; ita voluptuosi quamplurimi ad Christum sese converterunt & primi omnium ad baptismum Iohannis venerunt. Superbi illi Pharisai erant postremi, eorumque paucissimi in Christum crediderunt, adeo ut ipse scrotatoribus & adulteris regni DEI aditum minus difficilem esse pronunciarit quam ambitiosis Pharisaeis. Denique Avaritia radix omnium malorum dicitur, ac diserte affirmatur, facilius esse, ut Camelus per foramen acus transeat, quam ut dives, scilicet qui cor-

DEDICATIO.

de divitiis adhucrat, regnum DEI intret. Et alibi sub simili ab oculo petito dicitur: Si oculus fuerit nequam, totum corpus tenebrosum esse, id quod non inepte ad Avaritiam applicatur, quoniam ea, uti dictum, per concupiscentiam oculorum significatur. Quam rara autem exempla reperiuntur hominum amorem rationalem in summo gradu possidentium? sed plerumque apud virtuosos multæ debilitates è Voluptate, Ambitione ac Avaritia prognata intercedunt; ita non possumus affirmare, ex tribus vitiis primariis, et si ea sepius in sublimiori gradu reperiuntur quam amor rationalis, singula seorsim existere, sed ea eque cum reliquis affectibus primariis permixta sunt, ita tamen, ut semper una ex tribus hisce, quibus est permixta, reliquis superior sit, & in hac consideratione Passio dominans appellari soleat. Atque id quidem è quatuor Temperamentis secundum Philosophiam naturalem affabre conspicitur. Quicunque justum phlegma possidet, is homo est summe rationalis, eumque necesse est summe beatitudinis & amoris rationalis esse pacem. Ad hoc temperamentum Sanguineus quam proxime accedit, cuius affectus primarius Voluntas est. Cholericus longius hoc a phleg-



DEDICATIO.

phlegmate remotus est, & apud eum ambitio
præ reliquis affectibus eminet. Melancholi-
ci ut præ aliis sunt portentosi, ita fortissime
ab Avaritia corripiuntur. Imo facillimum
est divisionem boni in honestum, jucundum
& utile, si ad ductum eorum, que Cap. I.
bujus Philosophiae meæ moralis monui, bonum
Decorum addatur, secundum quatuor affe-
ctus primarios & dicta quatuor Tempera-
menta dividere. Phlegmaticus homo est
vere honestus, ac in omnibus actionibus suis
veram gloriam querit virtute partam, et si
penes multitudinem bujus mundi non adeo
magna ejis sit existimatio, imo plane sit ab-
jectus atque contemptus. Sanguineus boni
jucundi maximam habet existimationem.
Cholericus decoro maxime occupatur. Me-
lancholicus denique ad bonum utile aspirat.
Uti autem in arte pictoria quinque tantum
dantur colores principales, albus, flavus, ru-
bicundus, ceruleus & niger, è quorum mixtu-
ra deinceps reliqui colores omnes generantur,
qui ob infinitos mixtionis gradus &que infini-
ti sunt; ita è diversis gradibus mixtionis qua-
tuor affectuum primiorum innumera oriun-
tur temperamenta, quæ necesse est ut homo,
qui mundum exacte cognoscere, & Politicam

25 suam



DEDICATIO.

suam recte intelligere cupit, comprehendat, se
hominum ingenia recte scrutari, hominumque
capacitatem cognitam perspectamq; habere de-
siderat. Modo enim hominem invenies, qui mul-
tum possidet voluptatis, cum ambitione pro di-
versitate individuorum vel in inferiori, vel in
superiori gradu permisste. Modo Ambitiosum
reperies, in quo notabilis quedam mixtura vel
voluptatis, vel avaritiae deprehenditur. Omni-
um autem absurdissime Avaritia cum Voluptate
misceatur, & quando hi affectus, (quod rarissime
tamen contingit) in sublimiori gradu juncti in-
veniuntur, tum ex hac mixtura tam ridiculum
emergit temperamentum, ut, si affectus secun-
darios ex hac mixtura genitos, & qui alii quam
contrarii esse non possunt, contempleris, exhor-
rescas. Unde & Satyrici & Comici ridiculos ac
bistrionicos ludos representaturi, plerumque se-
nem amore captum in scenam producunt, quia
senectus communiter avaritia laborat, ac se-
num amor voluptuosus magis quam rationalis
est. Hinc Comœdia scriptoris Galli, de Moliere,
de Auaris confita præ reliquis est ridicula. Etsi,
mea quidem sententia, stultitia ex hac mixtura
emergens longe majori cum evidentia sub perso-
na adolescentis voluptuosi depingi potuisset.
Amor autem rationalis mixtus plerumq; est val-
cam



DEDICATIO.

cum amore terrena voluptatis, vel cum ambitione, cum avaritia autem ipsi nihil est commercii, eo quod ipsa ab amore rationali abduc longius voluptate distet, et si interdum pecuniam parumper amet. Atque inde in hac imperfectione, ubi non omnia ad perfectionem reduci possunt, is omnino honestus vir dicendus est, qui dominari affectibus suis quam maxime didicit, qui bilare & ambitiosum temperamentum in aequali gradu possidet. Tales enim homines & gravibus negotiis & jocis praे aliis idonei habentur. Nam Ambitione fere retinentur, ne irrationaliter in voluptates prolabantur, & coram multitudine sese prostituant. Contra e temperamentu voluptatis derivata sinceritas ac misericordia eos abstrahit, ne ambitioni penitus immigantur, sed earum beneficio φιλοτιμία suam reprimant, ne ea in aliorum dampnum, sed in eorum potius commodum vergat. Imo quotidiana testatur experientia, ejusmodi homines, quando jam adolescentia debilitates ac vanitates superaverunt, vel in aetate virili, vel in extrema senectute justum sibi phlegma comparare, ac amorem rationalem praे aliis consequi. E gentilibus Alcibiades hujusmodi temperamentu prædictus fuisse videtur, ac parum errabo, si dixerim, Salomonem Regum sapientissi-

mum



DEDICATIO.

tum similem huic corporis mixturam habuisse,
de qua fere omnes vita ejus circumstantie in-
sacris literis consignatae testimonium perhibere
possunt, quippe quae omnes eo tendunt, ut ex ipsis
nil preter Honorem & Amorem aliquis collige-
re queat. Denique hujusmodi ingenia quam
maxime idonea sunt, quae de vera Philosophia
morali, deque amore rationali judicium ferant,
cum ex adverso homines mere voluptuosi veri-
tatem quidem praeceptorum de amore rationali
facile comprehendant, sed nisi ambitione tem-
perati sint, eorum praxis ipsis videtur fere im-
possibilis. Ambitiosis contra paullo plures in co-
gnoscendo amore rationali scrupuli objiciuntur,
maximisque premuntur difficultatibus in for-
manda justa Idea de virtute. Avaris denique,
uti prudentibus videntur maxime irrationales,
quæcunque de virtute ac amore rationali di-
cuntur, ridicula apparent; Imo non possunt
hoc sibi vendicare, ut affirment, se minimum
saltē ejus gradum, ut secundum virtutem
vitam instituant, assūscendo posse attingere.

Jam cum juxta consuetudinem Scriptorum
constituerim Philosophiam hanc meam mora-
lem censuræ honesti cuiusdam viri per Dedicati-
onem subjecere; neque temere neque impru-
denter me facturum existimavi, si coram TE,

SE-



DEDICATIO.

SERENISSIME PRINCEPS, eandem
in summissa obedientia deponerem. Præter-
quam enim quod in me immerentem bacte-
nus summa ac pene innumera, qua tantum
Principem decent, beneficia, cumulatissime con-
tulisti, SERENISSIMI^QVE ELE-
CTORIS BRANDENBURGICI po-
tentissimam tutelam contra persecutores meos
gravissima commendatione Tua mibi com-
parasti: rarissime illæ virtutes, SERE-
NISSIME PRINCEPS, quas tan-
quam pretiosissimum peculium possides, hoc
institutum mibi quasi demandarunt. Ita nam-
que ea comparata sunt, ut encomia a privato
homine, in quorum numerus me quoque refero,
tributa longe transcendant, ac si tempera-
mentum meum spectem, omnium ineptissimus
videbor, ad Panegyricos ulli dicendos scriben-
dosve: Quisque tamen, cui hoc contigit bene-
ficium, VESTRAM SERENITATEM
cognoscendi, vel saltem videndi, me ab omni
assentationis vitio absolvet, si dixero: vitam
tuam SERENISSIME PRINCEPS, in-
tegre ex honore & amore esse compositam. Hu-
manitas illa, qua quemlibet, quem alloquio TUO
dignaris, excipis, omnium ad secunda allicit, ut
T & non possint non amare; ea vero, qua ex oculis

TUUS



DEDICATIO.

TUIS elucescit gravis animositas, amorem
hunc cum summissa quadam veneratione
cumque officiositate confidentia plena tempe-
rat.

Accipe jam, SERENISSIME PRIN-
CEPS, clementer publicam hanc summissi a-
moris erga TE mei atque existimationis testi-
ficationem, summaque gratiae ac benignitatis
TUÆ fructum mibi porro concede, id quo hu-
millimo obsequio exoratum volo, qui ad extre-
mum usque vita halitum manebo

VESTRÆ SERENITATIS

Halæ d. 16. Aprilis
1692.

humillimus & obsequiosissimus

CHRISTIANUS THOMASIUS.

P.R.E.



P R A E F A T I O.



Oalent vulgo in Praefationibus differere de scopo & argu-
mento libri. Id cum jam præ-
statum sit à me in diversis pro-
grammatibus, summaria itē
singulis capitibus præmissa Lectori conten-
tatius Philosophiæ moralis breviter re-
præsentent; pauca saltem circa diversa ju-
dicia quæ de hac methodo meâ, deque Idea
amoris rationalis formari possent , mone-
bo. Ac pauci quidem erunt Moralistæ,
qui aliter Philosophiam Moralem tradide-
runt , nisi secundum catalogum undecim
virtutum Aristotelicarum , de quarum im-
perfectione alibi prolixè egimus. Etsi au-
tem antiquitatis adoratores ne tantillum
quidem timeam si omnino dicta methodus
mea nova & inusitata esset; tamen ea hujus-
modi etiam est, ut nec plane nova ea pos-
sit haberi , nec quod eam ab alio quodam
mutuatus sim, accusari queam. Nam in E-
thicâ sua Geulingius virtutum Aristotelica-
rum nullam rationem habuit , & in Germa-
nia nonnulli Professores celebris cuiusdam
Academiæ in libellis Ethicis suis Amorem
fundamentiloco statuerunt. Imo inter ipos

A

etiam

PRÆFATIO.

etiam Aristotelicos quidem è fontibus Amicitiae officia & debita humani generis derivârunt. Facile tamen aliquis deprehendet, Philosophiâ hac morali nostra cum his Authoribus collatâ, quod absque ja&tantia & vanæ gloriolæ affectatione hunc librum pro meo venditare possim, meamque & ipsorum methodum insigniter discrepare.

2. Conceptum quem per totum librum de amore rationali formavi, nequaquam prætendam, ut vel omnibus vel plerisque placeat, nam hoc ipso significarem quod eum non instituerim secundum regulas sapientiæ ; nec operæ pretium existimo, omnes censuras , quibus is impetratur , refutare; (Nam hominum & sermonibus & nonnunquam etiā calumniis sua libertas relinquenda; sed tantum monebo cuiusmodi homines idoneos censem, qui de hac Philosophia morali nostrâ judicent, deque duabus præcipuis censuris, quæ imminere forte videntur, nonnulla annotabo. Tria sunt hominum genera : Homines irrationales seu Bestiæ, Homines , sive sapientes & virtuosí, denique Christiani. Primum enim plerique homines, prô dolor, harent in bestialitate, alii magis, alii minus, & in horum usum hæc Philosophia nostra moralis scripta est,

ut



PRÆFATIO.

ut ex hoc miserrimo statu eripiantur, ac beatitudo amoris rationalis, quo in veros homines demum efformentur, ipsis repræsentetur. Atque hi vel adolescentes sunt, & institutione egent, non sunt igitur admodum idonei ad censendos ac dijudicandos libros, sed operam eos dare oportet, ut quæcunque non deprehendenda rationi adversa grato animo accipient, et si non sint ad gustum suum, facile enim intelligent, gustum suum maximam partem esse corruptum. Vel proiecta jam sunt ætate, qui si Ethicam meam non legent, ægre non feram, neque enim ipsis destinata est, cum sciam vires humanas excedere, ut homo grandævus, adhuc bestia ē statu brutalitatis eripiatur. Sin legant eamque ut chimæricam velint perstringere, æque eis licet, nec ideo me movebo, cum eorum judicia omnia mihi æque videantur absurdâ ac ebriorum. Quomodo enim bestia haberet sensum & reflexionem hominis? Jam igitur prævideo, in omnibus statibus plerosque qui librum meum legent, dicturos, non dari hujusmodi amorem rationalem, ut descripserim, sed in futurâ vitâ eum esse expectandum; adeoque imprudenter me egisse, dum multa juventutis trididerim de Summo bono temporali; quod

PRÆFATIO.

obtentu tamen sit impossibile. Sed hos oratores velim, ut omnes saltem Gentilium viros honestos atque prudentes, ut Senecam, Ciceronem, Pomponium Atticum, Agricolum &c. sibi proponant, & ex eorum Vitis aut libris discant hos omnino amorem rationalem finis in sumo, tamen in aliquanto gradu perceperisse ac possedisse. Et dolendura certe est, nos appellari Christianos, nec humanitatem tamen adhuc attigisse; eosque quos inter nos reliquis exemplum vitae Christianæ præbere oporteret, maximā partem non solum vivere ut bestias, sed simplices etiam atque tyrones ad proprium exemplum remittere, ut ex eodem sibi forment conceptum virtutis, cum eorum corda sint delubra voluptatis, ambitionis & avaritiae. Ita vero latissime grassatur hæc imaginatio, hunc esse virum honestum ac virtute præditum, qui se contineat ab his flagitiis, quæ puniri à carnifice vel à Magistratu soleant, quantumvis alioqui sit invidus, crudelis, fraudulentus, superbis, immisericos, &c. Humanas has esse infirmitates, à quibus in hac vita nemo, ne Christianus quidem, liberari queat. Et qui aliud sibi persuadeant, vel juventutem aliud quid doceant, & ad vitam secundum virtutem instituendam exhorten-



PRAEFATIO.

tentur, homines esse vertiginosos & hypocritas. Quam aperte autem hæc Christianorum sic dictorum multitudo ab Ethinicis pudore perfunditur & bestialitatem suam hæc doctrinâ prodit, tam non sunt formidandæ nobis hujusmodi bestiarum censuræ.

3. Benedictus sit Deus, quod adhuc inter homines, imò inter veros Christianos vivimus, quantuscunque sit eorum numerus, qualiscunque existimatio. Utrique perspicue intelligent, quod de Virtute veroque Amore non scripserim hyperbolice. Utrique intelligent quod rationem & revelationem non confuderim, sed eatenus saltem virtutem descripserim, quatenus ea viribus naturalibus obtineri potest. Quare nec adolescentes aliique quos Divina clementia mature è bestialitate in statum Christianismi transtulit, se scandalizabunt, si reperient, quod in definiendo amore rationali, exilius (ut ipsis quidem videatur) rem exposuerim, eaque tanquam virtuosa & perfecta venditaverim quæ respectu charitatis Christianæ & abnegationis sui meri defectus existimari debent. Scandalum eorum mox cessabit, si considerabunt, quod mihi non proposuerim, ut ex Auditoribus meis Christianos, sed homines



PRÆFATIÖ.

effingerem. Vocatio mea longius sese non extendit, & me ipsum in Christianismo non doctorem sed tyronem adhuc profiteor. Sed DEO vitam, sanitatem & vires mihi largiente constitui, Philosophiâ mea absoluta, in peculiari tractatu ostendere, quod in scriptis meis Philosophicis omnibus nil aliud docuerim, nisi quod cum sacra Scriptura, quando ea de sapientia philosophicâ deque Virtute loquitur, consentiat, & qua ratione defectus in naturali sapientia & virtute philosophica occurrentes è divina verorum Christianorum sapientiâ supplendi sint. Tribus verbis: Veram Philosophiam manuductionem quidem & invitationem ad Theologiam esse oportere, sed per se insufficientem esse ad Theologiam assequendam.

4. Cæterum memini me superiori mercatu hyberno Lipsiensi publicè promisisse indagationem animorum & cogitationum hominum, nec cessabo hanc notitiam suo tempore, DEO volente, publicare. Oportet autem Ethicam ejus esse fundamentum, in quâ necesse est ut homo seipsum prius cognoscat, antequam alias explorare incipiat, & Praxis potissimum Philosophiæ moralis seu Remedium amoris irrationalis ostendet, quænam axiomata fun-

PRÆFATIO.

fundata hīc à me exspectanda sint, et si ea quoque, quæ jam
in hāc Introduktionē ad Philosophiam moralem in Capite
de distinctis gradibus amoris particularis, in annotationi-
bus passim interspersi, item quæ in summissa dedicatione
Introductionis hujus de quatuor Affectibus principalibus
in genere differui, Lectori neutri parti obnoxio funda-
mentum doctrinæ meæ sufficienter ostendent. Nuper qui-
dem omnes eruditos provocavi, ac professus sum, si quid
haberent, cuius me circa artem à me promissam, commo-
nēfacerent, ac si problemata quæ ibi proposui, è funda-
mento resloverent, tum me velle esse obligatum, ut ad eo-
rum dubia respondeam. Jam sperass̄em si quis hoc in negotio
mecum vellet disceptare, Virum certe futurum fundamen-
tis in Philosophiā morali bene instructum, sed longe alius
rei fuit eventus, intellexi enim non sine ingenti admiratio-
ne, cum superioribus diebus Mensis Martius Colloquiorum
menstruorum curiosorum Lipsiā mihi missus esset, Autori
placuisse, ut & hīc mihi insultaret, & Specimen meum satis
quidem subdolè, sed satis etiam stupide perstringeret. Con-
coxi haſtenus patientissime, dum sub initium præcipue col-
loquiorum suorum menstruorum, & aliis passim in locis me
acerbius, & ita interdum tractat, ut major agrestia à rusticō
Thuringiaco non posset expectari. Imo me non commovi,
etsi Colloquiis suis manifestum libellum famosum contra
me inféruit, eumque ad majorem mei ignominiam juxta in-
tentionem suam in linguam vernacularam transtulit. Adeoq;
sperass̄em ut hac patientiā mea eum ita disponerem, ne in
rebus captum suum transcendentibus simplici suo judicio
coram orbe erudito se amplius proſtitueret; cum colloquia
ejus universi doceant Virum esse multæ quidem lectionis,
nec in historicis & antiquitatē sua laude defraudandum; sed
præter hēc in Philosophia reali tam Theoreticā quam Pra-
etica paucissima intelligere ac didicisse, sed si in ea incidat,
non melius quam apertum Sophistam rationari, atque igno-
rantiam suam omnium oculis exponere. Video autem pa-
tentiam non semper sufficere ad hominem umbrasili sapi-
entia tumidum intra limites continentum, medium itaque

exco



PRÆFATIÖ.

excogitare cogor, quo ipsi lascivia parum excutiatur, nec
neceſſe tamen habeam tempus aliquod ordinariis meis ne-
gotiis ſuffurari, cum eoque eiusque ſimilibus scriptis reci-
procis non necessariis contendere. Ita vero proderit, ut Au-
ditorum meorum alicui qui mediocriter ſaltem Logicam
meam comprehendit, imponam hoc negotium, ut hunc
Martium ejus iuste refutet, ne quod haſtenus fecit, porro
ſapere ſibi videatur, atque ut hi qui jam ſuper miferas ejus
censuras exultarunt cognofcant, gaudium ſuum intempe-
ſtivum & ſine fundamento fuifſe. Is Deo volente ipſi ex pro-
prioſis colloquiis demonstrabit, omnia ea quæ haſtenus de
eo ſcripti vera eſſe nec ex affectibus ſcripta. Is ei oſtendet
quod in Dubiis & Cenſuris suis in mense Martio de me pro-
positis ejusmodi ſophiſmata & ſoloecismos contra Logicam
commiſerit, ut ſi quis ex diſcipliſis ſuis idem perpetratiſſet,
juxta morem in ſcholiis trivialibus introductum meruiſſet
ex prima in ſecundam vel tertiam claſſem promoveri. Is
ſufficienter ei demonſtrabit, quod Problemata à me pro-
poſita levifſime & indecenter reſolverit; Tam aequus au-
tem, ſpero, erit Dominus Magiſter, ut patientiam aliquam
adhibeat, ſi Auditor meus reſutationem hanc non illico
publicabit; Neque enim neceſſe eſt, ut propter has nugas
horis ſuis ordinariis quas ſtudiis delinavit, quicquam de-
curtet, ſed ſufficiet, ſi horas ſaltem ſucciſivas quas alii ju-
venes oblectamentis variis consumunt, iſti reſponſioni tri-
buat. Spero certe hanc reſutationem, vel ante nundinas
autumnales vel his imminentibus abſolutam iri. Sat cito,
ſi ſat bene. Dominus Magiſter interea evolutione ſui Vade-
mecum & libellorum Syllogiſticorum ſimiliter ad hanc re-
ſutationem eò melius ſeſe præparare poterit, & à Correſpon-
dentibus ſuis ſubſidia emendiſcare, quemadmodum Sophi-
mata ſua rectius defendere, ac problemata à me propoſita
aliter & melius quām fecit reſolvere, aut impoſterum ta-
cere valeat, id quod eum humane ac ſincere
admoniſtum volo.

PHILO-





PHILOSOPHIÆ MORALIS

CAPUT PRIMVM

DE

PRUDENTIA COGNOSCENDI
MALUM ET BONUM IN
GENERE.

ARGUMENTUM CAPITIS.

Connexio cum Doctrina Logica, n. 1. Discrimen inter Verum & Bonum, item inter Falsum & Malum, n. 2-11. Definitio Boni & Mali in genere, n. 6. Huc in specie refertur Bonum & Malum hominis, n. 9. Et quidem Verè Bonum, quod Bono apparenti opponitur, n. 12. Id quod homini Bonum vel Malum est, vel est in eo, vel extra eum, n. 13. Quæ sit horum generum duorum differentia, n. 14. 15. Res externæ à potiori appellantur bona vel malæ, n. 16. Malum est, quicquid vires humanas ad breve tempus auget, durationem autem eius abrumpit, ac breviter reddit, n. 17. 18. 19. 20. Quinque annotationes ex hac Regula consequentes, n. 21-25. Eius insignis necessitas & utilitas, n. 26. 27. 28. Hanc ut in praxi etiam observent adolescentes, magni res momenti est, n. 29. Omnia, & consequenter etiam ho-

A

me



2 CAP. I. DE PRUDENTIA COGNOSCENDI

mo ab imperfectione ad perfectionem moventur, deinde rursus decrescent. n. 30. 31. Is motus has habet proprietates, ut vel ascendat vel descendat, i. e. ut accessus fiat vel decessus, ac certam habeat proportionem, eamque tardiusculam. n. 32. Duratio homini à Deo posita est bona, sed tribus modis in malam degenerare potest. n. 33. ad quos refertur, si homo perfectionem suam nimis quam par est, promoveat. n. 34. Motus membrorum hominis harmonicam vicisitudinem postulat. n. 35. 36. Essentia eius constat Corpore & Anima. n. 37. In corpore ejus deprehenditur (1) Vita. n. 38. Ea bona est, cum omnibus his quæ eandem promovent. n. 39. Mors partim bona est, partim mala n. 40. (2) Locomotiva ac sensus, quæ pariter sunt bona, quodque iis opponitur est malum, n. 41. 42. Hæc bona homini cum bestiis sunt communia, n. 43. Sed Intellectu animæ ab iisdem discernitur. n. 44. ut & Voluntate n. 46. Quæ & ipsa una cum his quibus ea promoventur, bona sunt. n. 45. 47. Omnia quæ sunt extra hominem sensus ejus immediate afficiunt, & pro effectu suo, qui fit quasi in momento, vel bona vel mala existimantur. n. 48. 49. Deinceps motum sanguinis ac cogitationes quoque afficiunt, quorum effectus tamen admodum remotus est & in futurum elongatus n. 50. 51. Omnis sensuum motus justo acriter ac fortior malus est. &c. n. 52. 53. Moderate motiones partim bona sunt, partim male, n. 54. Bonæ motiones fiunt male, si diutius, quam par est, continuantur, n. 55. Præceptum modo alatum etiam ad motum membrorum externorum n. 56. item ad motum sanguinis n. 57. & ad cogitationes humanas applicatur n. 58. Omnia que sunt extra hominem in tres classes distribui possunt n. 59. (1) Infra hominem, bruta animantia & ceteræ creature. Ex his parum admodum ipsi opus est ad su-

item.



stentationem sui. n. 60. 61. 62. sed maxima rerum pars homini infinitis modis nocere potest. n. 63. Creaturae tamen bonæ magis sunt, quam malæ. n. 64. (II.) Juxta hominem, alii homines. Sine his homo longe esset miserrimus. n. 65. Nihilominus homo homini ægre facere mirum in modum potest n. 66. neque aliud tamen homini tam potest prodeesse, quam homo. n. 67. Et hoc respectu bonis rebus annumerandus est. n. 68. Amicitia & Amor n. 69. Unde orientur. n. 70. Item Libertas n. 71. *Φιλοτιμία* n. 72-75. *Φιλαργυρία* n. 76. 77. 78. Item Decorum & Pudor bonane an mala sint existimanda n. 79. 80. (III.) Supra hominem DEUS, qui inter omnia, quæ bona sunt, summum locum merito obtinet n. 81. 82. 83. Virtus, Eruditio & Cognitio sui bonum quiddam sunt n. 84. 85. 86. Bona Animæ, Corporis & Fortunæ n. 87. 88. Quid in hac Bonorum hominis divisione reprehendendum n. 89. 90. Bonum honestum, utile & jucundum, vero bono semper sunt conjuncta. n. 91. 92. Et respectu tantum originis honestum n. 93. ratione præsentiae sive jucundum n. 94. intuitu effectus demum appellatur utile n. 95. Rebus præteritis ac futuris neminem propriæ delectari. n. 96. 97. 98. Cur vulgo triplices hæ bonorum differentiae aliter explicitur n. 99. Num honestum atque jucundum propter se, utile vero propter aliud quid appetatur n. 100. An jucundum appetitu quodam cum bestiis communi appetamus. n. 101. 102. Sensuum mediocres delectationes, & omnes delectationes animæ veras esse delectationes. n. 103. 104. De Exemplis quæ vulgo afferuntur, ad obtinendam boni honesti, utilis & jucundi differentiam n. 105. v. g. Furari, scortari, gule ac Bacco indulgere n. 106. Pharmaca amara adhibere,



4 CAP. I. DE PRUDENTIA COGNOSCENDI

abstinere vitiis n. 107. Vitam pro patria periculo exponere n. 108. Decorum quod sit referendum n. 109. Aliæ boni & mali secundum distinctos gradus divisiones n. 110. Homo vel in statu suo ordinario & naturali vivit n. 111. 112. vel in statu extraordinario n. 113. Secundum hos status Bonum ac malum vel ordinarium vel extraordinarium denominatur n. 114. 115. 116. In quo utriusque generis ordinarie est bonum, extraordinarie malum est, & vice versa. n. 119. 120. 121. Bonum & malum vel positivum, vel privativum n. 122. 123. Bona aliqua valde nobilia sunt atque necessaria, aliqua minus talia. n. 124. 125. 126. Necessaria vel absolute sunt necessaria, vel ex hypothesi n. 127. Ceterum dantur bona immediata & mediata. n. 128. Bonum vel reale bonum est, vel minus malum. n. 129. Quænam inter allatas differentias sint bona nobilissima n. 130. Per communem errorem bonum extraordinarium præfertur ordinario n. 131. 132. Et bonum positivum nobilius existimatur privativo n. 133. Item bona non necessaria necessariis antepnuntur n. 134. Magisque solliciti sumus de minore malo, quam de bono reali n. 135. Quid sit Philosphia practica n. 136. Differentia inter Ethicam Oeconomiam & Politicam. n. 137. 138. 139.

I.



N exordio Doctrinæ Logiæ Eruditionem diximus esse cognitionem Veri ac Falsi, item Boni & Mali. Itaque cum habetens de cognitione Veri ac Falsi, quantum quidem juv-

ni

ni ad vitam civilem aspiranti sufficere putavimus, explicaverimus; jam progrediendum etiam nobis est ad alteram partem cognitionis, Boni nimirum & Mali, quoad ipsa è sana ratione haberi potest; Agemus autem de ea aliquanto prolixius, dum *sine justa & luculenta cognitione boni & mali in communi ac civili vita aliquis commodè versari plane non potest.*

2. Considerandum autem hic præprimis est, quænam sit differentia inter *Verum & Bonum*, item inter *Falsum & Malum*. Omne siquidem verum videtur esse bonum, omne falsum & omnis error videntur esse mala; Vulgo tamen ajunt bonum & malum vel verum esse, vel imaginarium.

3. Quod ut commodius intelligatur, sciendum est, utramque denominationem in eo convenire, quod neutra *essentiam* rerum in se spectatam, sed earum modos ac *comparationem* cum aliis respiciat.

4. *Verum* enim definivimus, quod consistat in harmonia rerum externarum cum intelle^{ctu}, *Falsum* vero, in amborum dissonantia.

5. Similiter generaliter *bonum* appellatur, si duo mutuo convenient, generaliter *malum*, si alterum alterirepugnet,

6. Mutuò convenire hic dicitur, si alterum conservat alterum in duratione sua, ejusque *essentiam & qualitates* adauget. Mutuo sibi repugnare,

A 3 si



6 CAP. I. DE PRUDENTIA COGNOSCENDI

*Si alterum alterius durationem decurrit, vel ejus
essentiam aut qualitates deteriores reddit.*

7. Adeoque prior *differentia Veri & Boni*
hæc est, quod Bonum mutuam rerum omnium
harmoniam denominat, Verum autem in specie
consensum rerum cum intellectu humano connotat.

8. Cæterum extra dubium positum est, sic
ut reliquæ creaturæ præter hominem, quæ bo
na sibi sunt vel mala, cogitationibus intelligere
vel comprehendere nequeunt; ita hominem
admodum imprudentem fore, si cogitare vel
let de his, quæ aliis creaturis bona vel mala
sunt, *proprii vero boni vel mali nullam plane cur
ram gereret. Quare de Bono ac Malo non nisi
respectu hominis agemus.*

9. *Bonum vero hominis specialiter à Vero in
eo distinguitur, quod in harmonia aliarum re
rum cum *toto homine*, vel cum omnibus ejus
partibus & viribus, non cum solo intellectu con
sistat.*

10. Sed & hæc harmonia magnopere discre
pat. Quid ea in definitione Boni significet,
modò notavimus. In definitione *Veri* nil aliud
denotat, præterquam, ut jam in Logicâ tradi
dimus, res externas ab intellectu humano *com
prehendi posse*. Ac *Verum* proprie nec bonum
est, nec malum, et si *cognitio Veri* ad bonum ho
minis pertineat, quatenus eadem Voluntatis
conditio melior redditur.

11. Rursus *Bonum & Malum vel vere est tale,*
si



si nimirum intellectus communis quatenus à præjudiciis humanæ autoritatis ac præcipitan-
tiæ purgatus est, aliquid bonum vel malum es-
se cognoscit, vel apparens est bonum aut malum,
quando ab iis, qui palam hærent in præjudi-
ciis, tale statuitur.

12. Unde cum posterioris generis bonum
& malum cum errore manifesto sit conjun-
ctum, errores vero ad Philosophiam non per-
tineant, non admodum opus erit admonitione,
ut in Boni & Mali inquisitione, id quod *vere*,
bonum aut malum est, respiciamus.

13. Itaque ea de quibus quæri potest, an
respectu hominis bona sint, vel mala, vel in homine
sunt, vel extra hominem.

14. Illa, e. g. *vitæ hominis, intellectus, membra*
corporis humani non nisi *bona* esse possunt,
quoniam ipsi à Deo sunt donata, ad promo-
uendam durationem ejus, essentiamque con-
servandam. Adeoque necesse est vel per *mo-
rum externum* fieri, ut è bonis ea mala evadant.
v.g. Si quis invitus subito terrore concutitur,
si innocenter vulneratur. &c. Vel *homo sibi ipse*
eorum deteriorationem debet, videlicet si va-
letudine sua, membris, aut intellectu suo &c.
temerè abutitur. Iam cum essentia hominis
in voluntate consistat, voluntas vero origo sit
omnis mali: omnia in homine bona sunt præ-
ter voluntatem.

15. *Externe res omnes absolute consideratæ*

A 4 in-



8 CAP. I. DE PRUDENTIA COGNOSCENDI

indifferentes sunt, nec bonæ nec malæ, aptæ tamen utrumque fieri, si essentiæ humanæ motu aliquo recte vel sinistre applicantur, e. c. cibus, potus, venenum, pugio &c. Ideoque necessaria est, ut homo essentiam suam ejusque qualitates accurate cognoscat, ut convenienter ea sciat trahere, nec ipse sibi temeritate sua hisce incommodet.

16. Sed in vitâ tamen civilî vulgo usus obtinuit, ut res externe à potiori bonæ vel malæ appellentur, prout ad hominis vel emolumen-
tum vel damnum plerunque applicari possunt,
ut cibus & potus bonum quiddam sunt, venenum
vero noxiū quid, &c.

17. Cæterum intuitu Applicationis rerum ex-
ternarum discrimen hoc observandum est, vi-
deri equidem quasdam augere vires hominis, sed
durationem tamen Existentiæ ejus minuere, v. g.
memoriam artificialem, nimias lucubrationes,
nimis sensibilem sensuum delectationem; alias
vero durationem hominis naturaliter promove-
re, et si non admodum videantur vires ejus gra-
du aliquanto augere; e. c. cibum & potum mo-
deratum, mediocrem sensuum oblectationem.

18. Illæ vulgo ab his qui præjudiciis sunt
immersi, bonæ existimantur, he vel male vel fal-
tem indifferentes, cum sana ratio doceat, poste-
riores tantum vere bonas esse censendas, illas
autem malas potius esse quam bonas.

19. Nam cum omnia quæ in toto homi-
ne

ne sunt, bona sint, excepta voluntate, ac nullares consistere queat, ubi nulla est existentia seu duratio; necesse est *omnia quaecunque Durationem totius vel partis alicujus tanquam fundamentum omnis boni labefactant, malis annumerari oportere*, ac æque absurdum est, momentaneam, quantumvis notabilem virium humanarum auctionem haberi pro re bona, si paullo post sequatur virium destructio vel privatio; ac si cuiquam habenti mediocres proventus aliquot talenta donarentur, & si secundum eorundem proportionem per aliquot dies statum suum instituisset, tum donata auri summa una cū pristinis eius facultatibus ipsi rursus adimeretur, & cogeretur panem ostiatim quererere, eoque quantum ei beneficium exhibitum esset, persuaderetur.

20. Quoniam ergo, ut mox audiemus, *omnis augmentatio nimis sensibilis facultatum humanaum vel Durationi totius, vel alias cuiusdam facultatis notabile detrimentum affert, ordinarie ea malanec bona habenda est.*

21. Ex quo necessario consequitur (1) res omnes pro bonis vel malis habendas esse, quo ad conservatio durationis humanæ his vel extenditur, vel abrumpitur.

22. (2) *Breve bonum, quod cum durabiliori malo necessario vel saltem valde verosimiliter copulatum est, malum, neutquam vero bonum existimandum esse, ac contrarium de brevi ma-*

A §



lo cum bono durabili conjuncto pronunciandum.
Nec alia hic ratio est quam in supputatione lu-
cri vel danni in mercatura.

23. (3) Canonem præcedentem eo esse
extendendum, perinde esse seu breve Bonum
vel Malum, Malum vel bonum durabile, cui
est conjunctum, *præcedat*, seu *sequatur*, quod
& ipsum simili de lucro & damno illustrari
potest.

24. (4) In dijudicatione distinctorum
graduum boni ac mali, hos quoque ab eorum du-
ratione esse perendos.

25. (5) Id quod durationem facultatis cuius-
dam humanæ promovet, ab altera autem parte
aliam facultatem *ad huc durabilius infringit* seu
minuit malis rebus annumerari oportere &
vice versa.

26. Atque hinc iterum discimus intellige-
re, quomodo differat *Vir sapiens* ab homine
præjudiciis immerso, Id quod vires humanas
momentaneè ac palpabiliter quasi adauget vel im-
minuit, illud etiam ab imprudentissimis *bonum*
vel malum esse statuitur: Ubi vero effectus
auctiōnis vel imminutionis non tam momenta-
neus esse sentitur, vel applicationem rerum ex-
ternarum in homine tardè sequitur, id non
considerant homines insipientes, cum ex ad-
verso *qui verum bonum candide persequitur*, de
eo studiose sit sollicitus, quoniam deprehen-
dit omissione inquisitionis huius maxime ne-
ces-



cessariæ vitæ humanæ maximum detrimentum inferri.

27. Nam hic sere idem evenit, quod in cognitione *Veritatis* atque *errorum*. Quicquid immediate per sensus comprehenditur, vel sensibus repugnat, id hi quoque comprehendunt qui indocti sunt, & in præjudiciis adhuc harent, sed ut dogmata remotiora atque verosimilia, è veritatibus indubii derivata intellegantur, id sola præstat attentio cauta viri sapientis.

28. Quapropter adolescentem in cognitione boni & mali solide profecturum oportet id quod haec tenus demonstravimus tanquam fundamentum indubium firmiter statuere, quod id tantum vere sit bonum, quod hominis essentiam ac vires maxima cum duratione conservat atque adauget, sive ea conservatio & augmentatio statim sese exerat, sive aliquanto tempore intercepto demum deprehendatur, quodque id actu malum sit, quod durabilem aliquam imminutionem vel plenariam extinctionem essentiæ humanæ viriumque humanarum causatur, et si imminutio illa vel extinctio longo demum tempore animadvertisatur, vel eam augmentatio præsens, momentanea ac valde sensibilis præcedere videatur.

29. Cæterum cum facile veritas huius fundamenti intelligatur, tanto tamen studiosius cavendum est adolescenti, ne in *Applicatione eius*



unquam inde deflestat, quanto frequentius hoc præjudicium humano generi intime inhæret, ut nobiles &que ac plebeji, docti simul atque indocti, senes pariter ac juvenes huiusmodi solum rebus inhient, eaque expetant, quæ præsentem atque sensibilem accessionem vi- rium naturalium inducunt, contra vero illa fastidiant, quæ durabilem, sed remotam nec adeo sensibilem hominis conservationem ope- rantur, id quod partim malis stolidisque exem- plis aliorum, quibuscum inde à juventute quotidie conversamur, quorumque imitatio apud nos in alteram quasi naturam abit, par- tim Impatientiæ inde à tenellis nobis adhæ- renti, qua desiderum nostrum absque ma- gno labore cito ac sensibiliter obtineamus, debetur.

30. Sicut autem id quod haec tenus funda- menti loco statuimus è *doctrina de bono & malo in genere*, & quoad id creaturas omnes attinet desumptum est: ita jam ad doctrinas fundamen- tales de *bono & malo hominis* proprius est acce- dendum, ac cum primis ex his quæ jam in Do-ctrina Logica, cum de præjudiciis diximus, notavimus, præsupponendum, *Naturam hu- manam* inde à nativitate in summa hædere imper- fectione.

31. Quemadmodum ergo omnia munda- na ope motus cuiusdam perpetui conservan- tur, sine quo motu nil nisi confusum quod- dam

dam Chaos futura essent; ita & *Hominis natura* in consimili Motu consifit, cui motui DEUS ut alius in rebus, certum modum, finem, ac rationem prefixit, secundum quem homo è statu imperfectio in perfectum, & ex hoc vicissim usque ad senectutem in statum imperfectum collocatur.

32. Is *Motus* duas præcipue habet proprietates (1.) Ut vel ascendat vel descendat, h.e. ut ejus adjumento res omnes, adeoque & homo cum in tota suâ essentia, tum in viribus suis, vel crescat vel decrescat, ac inde si crescere aliquid amplius non potest, necesse sit idem rursus decrecere. (2) Ut certam aliquam proportionem, eamque tardam magis quam velocem, è gradibus pluribus minutis consistentem, observet, ut in horologio motus ejus in certa momenta distribuitur, quæ si transgrediatur homo, & que ejus naturæ incommodatur, ac si quis arte affectata rotas horologii circumducatur, ut citius volvantur, quam artificis manus ordinaverat.

33. Etsi autem ista *Durabilitas* omnibus rebus & consequenter etiam homini à DEO proposita limites suos habeat, quos excedere homo non potest, eaque ratione *per se bona* sit, tamen eam quotidiè homines *fundamentum malii* faciunt, quatenus injustâ applicatione rerum externarum, vel dum in *decrecendo* versantur, hunc motum nimis *accelerant*, vel dum adhuc

ad



*ad perfectionem suam crescunt, perfectionem eam aut impediunt ac decrementum suum causantur, priusquam perfectionem fuerint affectui vel eam *velocius, quam par est, urgent, nec tempus conservetur ex impatientia expectant.**

34. Nam & hoc motus genus non bonum, sed malum esse, inde consequitur, quod eo i pso duratio hominis abrumpatur, dum, quod modo diximus, necesse est, eum fini suo propinquum esse, si augmentum recipere amplius non potest. Taceo sensibili nimis promotione perfectionis graduum motus naturalis divinitus constitutorum transgressionem fieri adeoque hac etiam parte durationis suæ terminum promoveri.

35. Porro cum homo è diversis corporis membris consistat, quæ diversas habent operationes; aliqua etiam membra diversis motuum generibus vel contactu diversarum rerum externalium conserventur, manifestum est, *motum naturalem membrorum hominis perpetuam quandam atq; harmonicam vici sit udinem poscere, eaque vires in eò meliori duratione ac perfectione retineri posse, continuum vero motum reperitum quietem membra alicujus esse malum quid, quibus ad ulteriore motum vel inceptum redditur, vel torpor quasi ipsi inducitur.*

36. Similiter & hoc malis rebus est annumerandum, quando vires humanæ vel *uni* *reperituo applicantur, vel frequentius, ac velociter quam*

quam par est, ad diversa, imo contraria conver-tuntur, quoniam utrinque harmonica illa à DEO introducta variatio immutatur.

37. Ac ut notata hactenus clarius intelli-gantur, essentia hominis absolvitur tum *cor-pore*, quod à Machina corporis bestiarum non magnopere differt, tum *Anima* quæ cogitat & vult.

38. Circa *Machinam Corporis* humani cum-primis *Vita* corporis consideranda est, quæ in motu proportionali sanguinis aliorumque hu-morum in venis & arteriis aliisque partibus in-ternis consistit.

39. Ac *Vita* quidem non solum *bona* est, sed & fundamentum *omnis boni*; Et quicquid vi-tam conservat, i. e. quicquid *Proportionem* à DEO ordinatam promovet ac motum sanguinis & cæterorum humorum nec sistit, nec velocius quam par est, impellit, id etiam est bonum; sed quicquid motum hunc retardat, vel nimis urget, malum est.

40. *Mors* partim *mala* est, partim *bona*. Ma-*la*, quatenus Duratio hominis, ipsius vel proposito vel negligentiâ abrumpitur. *Bona*, quo-ad nil aliud significat, quam naturalem vitæ terminum. *Vita* enim tota bona est, adeo-que & ejus finis, ac modo diximus, omnes fines à DEO constitutos, bonos esse.

41. Deinde Homo etiam *Nervos* habet, subtilibus ac spirituosis corpusculis repletos, qui

qui in cerebro concurrunt, inde autem in omnia corporis membra tam interna, quam externa distribuuntur, & quorum adminicula tam bruta animantia, quam ipse homo externe moventur, quiq; ab externis corporibus contatti, in homine & bestiis motum certum in cerebro gignunt, quem vulgus *sensus* appellare solet.

42. Ita vero *Vis motiva*, & *sensus* sic appellati pariter sunt *bona*, eorumque defecitus vel privatio, ut coecitas, surditas, apoplexia, &c. *mala* sunt. Ita *omnia*, quæcunque Vim motricem ac *sensus* confortant atque conservant, *bona* sunt, quæ imminuant, *mala*.

43. Atque istud bonum & malum homini cum bestiis est commune.

44. Denique Homo cogitat, h c. !comprehendit diversos motus rerum externarum, easque in cognitionibus suis retinet, componit, dividit, numerat atque metitur. Id vero *Ratio* vel melius *Intellectus* vocatur quo Homo à brutis discernitur.

45. Quemadmodum autem hic *sine exceptione bonus est*: ita & eius *privatio*, quæ furor seu delirium nuncupatur, item eius imminutio seu stoliditas, stupiditas &c. *mala* sunt. Et quicquid rationem seu Intellectum confortat atque conservat, *bonum est*, quicquid debilitat aut imminuit, *malum*.

46. Porro ope animæ huius Homo à bestiis
se-

separatus est, ita ut intellectus quidem bonum & malum quodammodo intelligere, sed nec verum ac sumum bonum eligere & apprehendere, nec verum malum propulsare queat. Et haec tamen bestiae non tam miserae sunt quam homo.

47. Impulsus iste cordis est voluntas seu Animus hominis, idque *unicum* istud est, sed *precipuum* tamen, quod in homine malum est.

48. Haec tamen hominem consideravimus respectu propriæ ejus essentiæ; Nunc paullò proprius mentem reflectanus ad *ea que sunt extra hominem*, deque eorum operatione in natura hominis aliquid dicamus.

49. Quicquid foris hominem contingit, id *immediate sensus* ejus *externos* attingit, adeoque cum hæc operatio sit maximè præsens, ejus vel *bonum* vel *malum* ab imprudentissimis etiam hominibus sentitur, ac intuitu præsentis delectionis vel læsionis bona vel mala habetur.

50. Si res externæ ope sensuum extierum corpus hominis afficerunt, deinceps etiam hujus motus continuatione fit *contactus quidam sanguinis & ceterorum humorum internorum*, etsi bonum & malum, quod hoc contactu efficitur, plerunque non tam aperte comprehendatur, sed auctio vel imminutio virium humanarum hic saepius admodum *remota at-*

B

que



que in futurum elongata esse soleat; Unde nec quilibet imprudens & in præjudiciis adhuc hærens idoneus est, ut de hac re judicet, sed hic singularis attentio atque sapientia requiritur, eoque major sapientia, quo magis remotus est effectus contactus hujus rerum externarum ab eorundem principio.

51. Denique cum voluntas & cogitationes hominis cum corpore arctissimè sint connexæ, nec id solum quod *sensus* acriter afficit, simul etiam appetitum & cogitationes moveat, sed & Alteratio *corporum spirituorum in cerebro* unà cogitationes ipsas vel acuat, vel obtundat, ipsaque sanguinis alteratio, voluntatem etiam & hâc mediante rursus cogitationes alteret, hominis sapientis eo magis interest, ut mutationes remotas atque futuras, contactu corporum externorum in corpore & in anima sua genitas, quam potest accuratissime sciatis atque comprehendat.

52. Cæterum ea quæ supra fundamenti loco tradidimus, sequentes observationes supeditabunt: *Objecta omnia sensuum, quæ in homine motum aliquem novum extraordinarium ac valde sensibilem non gignunt, sed duntaxat motus ejus naturalem in statu quieto conservant, bona sunt. Sed omnes sensuum motus nimis sensibiles vel sensu fortius afficientes, corrupti nervos sensoriorum adeoque mali sunt.*

53. Unde vero cognoscam, ais, motus



ne is in membris sensibus destinatis sit nimis vehemens, an motui naturali attemperatus? Hic non possum tibi commodius responsum dare, quam *internum assensum tuum* hoc tibi optime posse indicare, nec posse hic regulam quan-dam universalem dari, cum motus ordinarius in singulis hominibus non in eodem sit gradu, sed fere *tot modis variet, quot sunt homines*, quæ varietas partim ab *etate*, partim à *natione*, partim à *consuetudine &c.* dependet. Adeoque proderit, ut seipsum quisq; observet, an notabilem ac prius inconsuetam alterationem apud se deprehendat, nec ne.

54. Sequitur inde motiones *mediocres*, quæ medium locum tenent inter vehementes illas & ordinarias, tum esse *malas*, quando ad fortiores proprius accedunt, sed *bonas* existimandas esse, quando propiores sunt ordinariis.

55. Sed hic *Motus tamen ordinatus* sensoriorum in malum degenerare potest, si diutius is quam opus est, continuetur, quoniam per eundem motus reliquorum sensuum, qui secundum sapientiam Creatoris, uti supra diximus, grata quadam vicissitudine se mutuo excipere deberent, impeditur.

56. Par ratio est cum *Facultate Locomotionis membrorum externorum*. Motus temperatus, qui nec nimis sentitur, nec longius continua-



tur, bonus est, sed Motus nimis sensibilis, ac diuis
tius continuatus, est malus.

57. Porro Motus sanguinis is malus haben-
dus est, quo sanguis humanus vehementius
vel tardius movetur; Quicquid Motum san-
guinis in statu ordinario conservat, bonum
est. Nec ordinarius tamen sanguinis motus,
quantumvis diu continuatus, malus dici potest:
Nam homo unum tantum sanguinis motum
habet, sine quo sanguine vivere nequit, sed
sensus varios à DEO accepit, qui simul o-
mnes moveri non possunt, sed successivē.

58. Deinde quicquid cogitationes hominis
nimis vel acuit, vel turbat, malum est, sed quic-
quid easdem in motu quodam proportionato
conservat, bonum est: Imo quicquid hunc mo-
tum diuis continuat, id quoque malum est, eō
quod cogitationes homini non solum datae
sint ut res varias atque diversas perpendat, sed
ad conservationem sui quietem etiam cum mo-
tu alternis vicibus permutatam requirant. De-
nique circa voluntatem hominis notandum
est, omnem ejus motum naturalem per se-
ipsum corrumpi, quia ipsa voluntas quantu-
mque est, mala est. Ideoque non aliter ni-
si per contactum externum, tanquam per me-
dicinam sanari potest.

59. Hæc adeo præcipua sunt, quæ respe-
ctu rerum externalium in genere notanda veni-
unt: Quas si in specie quoque aliquantulum
con-

contemplari velimus, id commodissime fieri poterit, si eisdem in *tres classes* dividamus, ita ut quædam sint *infra hominem*, ut bestiæ, plantæ &c. quædam *juxta hominem* posita, alii videlicet homines, denique Ens summum *supra hominem*, DEUS.

60. In his quæ sunt *infra hominem*, quisque mediocri adhibita attentione facile intelliget, quod homo ad conservationem durationis suæ ac virium naturalium non *adeo multis rebus indigeat*, vel saltem *plurimis commode carere possit*.

61. Nam ad conservationem *spirituum vitalium*, *viriumque corporis cibo* equidem ac *potu* opus habet, sed de his vetus vulgatum est proverbium, *Natura paucis est contenta*: Ad conservandos reliquos *sensus externos*, visum, auditum, olfactum, saporem, tactum, *parum admodum divitiarum* poscitur, sed hic natura hominis contenta esse potest, ac sibi satisfacere usu rerum alienarum, quæque hominum dominio non subjectæ sunt. Denique satis constat eos qui modico cibo ac potu utuntur, atque delectationi sensuum moderatè operam dant, idoneos esse ad cogitationes justissime & accuratissime instituendas.

62. Ac hæc quidem observatio in praxi ferre videtur *ridicula*, ex adverso creditur *res multas homini ad conservationem sui esse necessarias*. Sed hoc præjudiciū partim ex hoc errore pro-

B 3 gna-



gnatum videtur, quod DEUS omnes creaturas propter hominem, (h. e. ad conservacionem essentiae ejus) considerit; partim è pravâ consuetudine, vel vanâ imaginatione promanavit.

63. Rursus dubium non est, *res plurimas homini nocere posse, idque infinitis modis*, ideoque hominem gravissimas habere rationes, quamobrem cavere sibi ab iisdem debeat.

64. Nihilominus reliquæ creature bonis potius quam malis rebus annumerandæ sunt, quandoquidem homo aliquibus ad duracionem sui promovendam *carere non potest*, cæteræ verò homini non *per se* consideratæ nocent, sed quatenus finstre *applicantur*, quæ perversa applicatio vel ab ipso homine fit, vel saltem plerunque non sine omni ejus culpâ accidit.

65. Sed in *Homine* adhuc plura erunt observanda. *Sine aliorum hominum adjutorio homo miserrimus foret.* Nam hominum ope destitutus vivere vel omnino non posset, vel certe summo cum tædio vitam agere cogeretur. Imo necesse esset eum carere oblationibus sensuum, si non omnibus, tamen plerisque, quandoquidem hæc alios homines præsupponunt. Cæterum & cogitationes ipsi parum prodescant; cogitationes enim in sermone quodam interno consistunt, sermo internus oritur à sermone quodam externo, externus nil omni-

nino prodest, si non esset humana aliqua societas.

66. Cavendum est tamen, ne præcipitanter nimis asseramus, *Reliquos homines sine excepcione bonos esse*, maximè si cogiteimus, *Hominem homini mirum in modum agere facere posse*, dum homo hominem occidere, sensibus variis modis incommodare, eosque excruciare potest, imo dum homo hominis intellectum quotidie traditione complurium errorum, fraudibus in mutua conversatione atque commerciis, &c. item voluntatem seductione ad vitia, malisque exemplis lædit.

67. Ex adverso *Homo ex hominibus majorem utilitatem capere potest, quam ex reliquis creaturis ad vitam suam conservandam, eamque prorogandam, ac sibi ipsi satisfaciendum, maxime ad intellectum suum purgandum, & voluntatem bonis exemplis emendandam.*

68. Adeoque *Homo respectu aliorum hominum bonis rebus potius quam malis annumerandus est.*

69. Neque dubium tamen est *Hominem præ reliquis animalibus hic peculiare quid habere, ut hominum aliis magis, aliis minus delectetur, eorumque consortium querat, ex quo amicitia vel amor particularis oritur.*

70. Idque variis ex causis fit, vel ex singulari aliquia *indigentia*, vel ob *delectationem sensuum*, vel ob *harmoniam cogitationum ac voluntatis.*

71. Cæterum omnes homines naturæ sunt æquales, ac inæqualitas Statuum vel ex indigentia vel urgente necessitate introducta est. Hinc naturæ hominis inditum est, ut quam maxime potest, *equalitatem* suam conservet. Atque exinde peculiare bonum oritur, quod *Libertas* nominari solet.

72. Nihilominus homo inde à juventute sub merâ vivit *inæqualitate*, atque hæc consuetudo in homine in alteram quasi naturam abit. Hinc vel aliis se superioribus æquari, vel æquilibus præferri desiderat, idq; *Ambitio* appellatur.

73. Cum autem verum fundamentum, quo aliis quis vel æquetur vel præferatur, in vero usu rationis, i. e. in verâ cognitione & praxi veri ac boni consistat; desiderium istud eatenus duntaxat *pro bono* habendum est, quatenus in his mediis fundatur, quoniam nunquam inde homini detimentū aut malum evenire potest.

74. Sed si alio quodam fundamento nititur, *malum* est, quia durabile esse non potest.

75. Imo si Homo ratione suâ recte utitur, *Φιλοτιμίαν* etiam prioris generis *indifferentem*, potius quam *bonam* existimabit, eo quod etiam sine exteriori paritate, vel prærogativâ, neque virtutem suæ, neque sensibus, neque usui rationis quicquam decedat.

76. Ex dictâ Statuum inæqualitate ulterius orta est introductio *Dominii bonorum* in genere humano, ex quo deinceps necessario prognata

gnata est inæqualitas facultatum & consequenter defectus sive egestas. Hæc homines coëgit ut *pecuniam* inducerent, cuius auxilio omnia quorum egemus comparari possunt. Inde commune desiderium, ut *homo* aliis vel par existimetur, vel anteponatur, ordinarie cum amore *pecuniae* seu *divitiarum* copulatum est.

77. Atque is quidem *pecuniae* amor *bonus* haberi meretur, quatenus secundum regulas sanæ rationis instituitur, ac bonis partis recte uitur, *malus* vero, si id non contigit.

78. Imo cum *homo* intellectu suo recte utens facile intelligat divitiis se commode posse carere, bonisque suis, divitiis licet destitutum, nihilominus uti posse (quandoquidem supra notavimus, hominem ad durationem suam bonis propriis non admodum multis indigere) *divicias* pro re *indifferenti* potius habebit, quam pro *bono necessario*.

79. Denique ex introductione differentiæ Statuum, item ex distinctis gradibus excellentiæ hominum, atque ex socialitate hominibus implantata, cupiditate quâdam enatâ factum est, ut inferiores se superiores ac excellentiores magnifecerint, utque existimationem illum declararent, non solum sponte suâ complura signa externa invenerint, ut per actiones suas eandem patefacerent, sed & superiorum ac excellentiorum hominum actiones suâ sponte imitari cœperint, quæ imitatio, *Vener-*



*nératio, Civilitas, appellari poterit, ex quo or-
tum est id, quod Latini vocant *Decorum*, ac *Pu-
dor* omnis inde originem traxit.*

80. Ac *Decorum* istud, item *Pudor* è viola-
tione decori ortus quoad Sapientes homines
atque virtuosos reliquis præcellere arbitra-
tur, eosque magni æstimat, ac eorum facta,
imitatur, verum est *Bonum*. Sed quatenus vi-
tiis deditos ac potentes speculi loco sibi pro-
ponit, *Malum* quoddam est; Cum imitatio-
nem rerum indifferentium respicit, absolute
magis est *vanum quoddam nihilum*, quam *bo-
num* quid, tamen ex *hypothesis*, quia non nisi
cum vanis hominibus vivimus, *bonum* quid
merito existimatur, quoniam ejus intermissio
homini perniciosa est, neque is absque hoc
decoro ulla ratione in vita civili res suas ex-
pedire potest.

81. Reliquum est de *DEO* dicere. A Deo
essentiam suam homo accepit, singulisque vi-
tae momentis à Deo in duratione suâ conser-
vatur. Soli Deo res externas debet, quæ ad
durationem hominis secundum ordinarium
naturæ cursum aliquid faciunt, adeoque Deus
inter bona omnia summum locum merito tenet.

82. Ac quamvis homo etiam intelligat,
quod à Deo bonis omnibus rursum exui, ma-
ximoque damno affici possit; tamen ideo non-
dum *DEUM malis rebus annumerabit, neque
pro causa mali habebit, cum perspicue intelli-
gat,*

gat, hominem sibi ipsi mala omnia quæ à Deo proficiscuntur, culpa propria accumulare.

83. Nam vel è solo *Lumine naturæ homo cognoscere potest*, Deum curam gerere rerum humanarum, ac *in hac etiam vita* (nam futuram humana ratio omnino ignorat) homines, prout vitam instituerint, vel *præmis afficere* vel *punire* velle.

84. Hinc necesse est, ut bonum etiam hoc existimet, ut *secundum Voluntatem Divinam*, quam Deus homini in jure naturali patefecit, *actiones suas instituat, malum vero, si voluntati Dei reluctatur*, scit enim fore ut illud quidem *præmia*, hoc vero *pœnæ consequantur*. Utrumque autem, & *præmia divina & pœnas* longe durabiliora esse, quam malum aut bonum *præsens vel momentaneum*.

85. Accedit, quod Jus naturale in communi generis humani felicitate fundatum esse intelligit, unde adhuc magis statuere cogitur, bonum esse, ut vitam ad nutum Dei componat, quoniam sub communi felicitate propria hominis beatitudo comprehenditur.

86. Itaque si vitam secundum voluntatem Dei instituit, *vitam virtuosam vivere* dicitur, pervenire autem eò non potest, nisi intellectu prius per *eruditionem emendato*. Quare Virtus atque Eruditio, cum primis autem (quod jam in Praxi Logices demonstravimus) *Cognitio sui*, sunt *bonum* quid, sed *Scelus, Inscitia,*

Er-



Error, nec non Eruditio intermissione cognitionis sui in aliis creaturis quæsita, malum.

87. Ex dictis haec tenus *vulgares Boni divisio-*
nes perspicue intelligere licebit, difficilius atque obscurius ab his, qui eisdem utuntur, tradi solitas. Vulgo bona hominis ajunt esse triplicia, *Bona Anima, Corporis, Fortuna*.

88. Bona *Anima* sunt verus usus Intellectus & Voluntatis, nimirum Sapientia & Virtus. Bona *Corporis* sunt Vita hominis, Sensus, Locomotiva, Integritas membrorum exterorum ac internorum, item justa dispositio cerebri, quoniam ab eadem Ratio dependet, quatenus alteratione corporis, in primis cerebri, ipsa quoque alteratur, ac morbo corporis minui, vel turbari potest, quod uno verbo appellatur Sanitas. Bona *Fortune* sunt Divitiae, Honor, Libertas, Amici.

89. Vides bona omnia haec tenus seorsim, enumerata in classium consuetarum ordinem nos redegissem, excepto *Deo & Decoro*, quorum utrumque secundum vulgatam definitionem ad earum classium aliquam commode referri non potest. Ac *Decorum* quidem nemo haec tenus cogitavit, cuiusmodi bonum sit, et si Philosophi omnes in eo contra Cynicos consenserint, praeter Virtutem dari adhuc aliud quid, quod in vita communi tanquam norma sequendum sit.

90. *DEUM* quod attinet, condonandum equi-

equidem gentilibus Philosophis est, quod divisionem bonorum hominis ita constringerunt, ut eorum maximè necessarium prætermiserint, quia in universum omnes ob confusione Philosophiæ cum falsa revelatione errores de DEO foverunt; Sed quod in scholis Christianis error iste absque ulla correctione retentus est, merito mirari possemus. Nec admodum tamen solliciti erimus, quemadmodum hanc divisionem juxta hasce observationes corrigamus, sed eam potius omnino missam faciemus, cum non videamus quid ea magnopere proficit.

91. Porro in scholis passim docent, quod bonum sit *honestum*, (sive *justum*) *utile & jucundum*, ac in definiendis hisce differentiis, item in tradendis exemplis discrimen eorundem bonorum confundunt magis quam illustrant, hoc errore nixi, quasi tria hæc bonorum genera revera à se invicem essent distincta, cum ea tenus solum differant, quod Bonum *diversimodo consideratum* modò *honestum*, (sive *justum*) modò *jucundum*, modò *utile* nuncupetur.

92. Nam verum *Bonum* (specietenus bonum jam supra exauctorauimus) *utile* est, quia hominem in duratione suâ conservat. Præterea *jucundum* etiam est, si ab homine possidetur, cum *Gaudium*, *voluptas*, *oblectatio* nil aliud sint, præterquam fruitio atque possessio desiderati *Boni*. Denique & *honestum* est, certe non

non in honestum; Honestas enim iu communi generis humani utilitate fundatur. Mox etiam suo loco demonstrabimus, quod solus is qui honeste vivit, vere jucunde etiam se vive-re sentiat. Et sicut omnis in honestas, ac omnia vitia toti generi humano perniciosa sunt, & unumquemque hominem in specie pessun-dant; ita mox patet, quod si qui vitam agit rationi adversam, etiam eo tempore, quo sum-mam sibi voluptatem imaginatur, multis imo innumeris tædiis obnoxius sit.

93. Cæterum unicum hoc Bonum diver-sas sortitur denominationes, quatenus diver-simode consideratur. Si eius *origo* spectatur, ut à Deo descendit, & ut à Deo, vel hominibus qui in mundo gubernando Dei vicem gerunt, tanquam norma actionum humanarum præ-scriptum est, vocatur bonum *honestum*, et si interdum etiam honestum denominetur, si non sit in honestum, (nec injustum) nec dictæ normæ contrarium.

94. Si vero Bonum ratione *sui ipsius* atque *præsentia* suæ considero, jucundum bonum di-citur.

95. Denique si *effectum* ejus specto, voca-tur *utile*, quatenus nimirum novum quoddam bonum gignit, vel *præsens* bonum continuat.

96. Adoque non est aliud discrimen in-ter bonum *jucundum*, nisi quod *utile futura*, *ju-cundum præsentia* respiciat.

97. Ac



97. Ac et si dicas, hominem *præteritis* etiam ac *futuris* rebus se posse oblectari, imo plus delectationis in contemplatione *præteriorum* & futurorum, si non semper, saepius tamen, quam præsentium sentiri; e.g. delicate amantem; Tamen re accurate expensâ fateberis, contemplationem *præteriorum* tum demum, delectare, quum ea nobis, tanquam *adhuc præsentia*, vel quæ præsentia saltem facile iterum fieri possunt, proponimus, & considerationem *futurorum* delectatione nos afficere, quando cogitamus ea mox fore *præsentia*, & sic præsens h. l. in sensu latiori capiendum est.

98. Nam si *præteritum* bonum tanquam *præteritum* considero, quodque præsens amplius non erit, non delector, sed doleo, sicut contraria ratione consideratione *præteriti* mali delectamur. Ac si bonū *futurum* non nisi tanquam *adhuc futurum* alpicio, nullum inde gaudium capio, sed aliquo saltem eiusdesiderio tangor.

99. Quod autem vulgo bona utilia, jucunda atque honesta à se mutuo separantur, partim inde fit, quod *bona illa non recte definiuntur*, partim quod *Bonum apparenſ cum vero Bono, item accidentaliter bona, & minora quædam bona cum nobilioribus bonis manifestè confunduntur.*

100. Ac *Utile* quidem bonum, ajunt *propter aliud quid experti, jucundum vero & honestum propter se.* Sed omne bonum, quatenus constanter aliquam durationem intendit, necessum est



est propter aliud expeti; quatenus autem per aliud quid, aliquid à priori plane distinctum intelligitur, quodque prius illud ad durationem nisi immediate conserat, v. g. Pecunia, tum sub appellatione Boni *utilis* vilissimum boni genus, i. e. media ad Bonum ducentia comprehenduntur, quasi e. c. *Vita*, *Sensus ac moderata sensuum oblationes &c.* quæ propter se expetuntur, pariter *utilia* non essent.

101. Porro *Honestum* contendunt à *sana ratione* appeti, *jucundum* vero ab *appetitu*, qui hominum cum bestiis sit *communis*. Sed quemadmodum sola hominis voluntas bonum tam honestum, quam jucundum appetit; intellectus humanus autem per se nihil omnino appetit, sed nudum instrumentum est voluntatis humanæ; Ita eruditi ipsi nesciunt, quomodo appetitum sensibilem sic dictum tam ab intellectu, quam à voluntate hominis distinguere debeant.

102. Deinde insignis in eo appareat absurditas, quod hunc appetitum, qui *jucundis* rebus inhiare debeat, *sane ratione* opponunt, quasi moderatum gaudium ac voluptas temperata sanae rationi repugnarent, nec ipse usus sanae rationis in quiete animi, hæc vero in tranquillâ oblatione consisteret.

103. Ac etsi obtendas: *moderatas basce oblationes, omnesque delectationes animi* non esse bona jucunda, quia jucundum illud in *affectionibus* sensuum *valde sensibilibus* unice consiste-

ret,

ret, utpote in voluntate, in cibo ac potu delicato aliisque in rebus quas corporis voluptates appellamus; tamen haec exceptio admodum est absurdia. Nam primum quidem supra ostendimus omnem delectationem sensibilem esse bonum, apparet, vel rectius malum quid, solisque moderationis obiectationibus definitionem boni competere.

104. Secundo, sicut magnae imprudentiae esset negare, helluonem, aleatorem, vel scortatorem in ipso voluptatis suæ momento nullam sentire delectationem; ita absurdum foret his qui *voluptatem animi* revera percipiunt, persuadere, quod à sensibilitate tuâ decipientur. Nam ut taceam tranquillam istam atque pacatam Viri vere sapientis ac virtuosi delectationem, extra dubium certe positum est, animum ambitiosi in gratio principis vultu, avari in capiendo lucro; literati sic dicti in refutatione adversarii, & hominis ingeniosi in inventione quadraturæ circuli eandem jucunditatem sentire, quam alter ille qui sensibilibus sensuum affectionibus delectatur.

105. Jam vero non erit difficile judicare de exemplis vulgo tradi solitis, quibus probare, conantur, posse aliquid esse honestum, cum non sit utile nec jucundum, vel *utile*, nec jucundum neque honestum, vel *jucundum*, nec utiliter tamen neque honestum. v. g. Vitam pro patria periculo exponere, vel missis vitiis virtuti

C affue-



affuescere: pharmacis amaris uti, vel furari, scortari, helluari.

106. Ac furari quidem, scortari, helluari non merentur censeri inter bona utilia atque jucunda, cum bonis plane non sint annumeranda, sed malis. Et qui hujusmodi exemplis utuntur duas appellations diversissimas patam confundunt. Aliud est, utilitas vel delectatio sensibilis & momentanea, aliud Bonum utile vel jucundum.

107. In alterius autem generis exemplis *pharmacum amarum* utile quidem bonum est, sed non jucundum: *A vitiis consuetis abstinere honestum & utile* quidem, sed durum atque acerbum. Sed utrumque præsupponit hominem, qui in statu corrupto versatur; Hujusmodi bona mox pronunciabimus esse bona in inferiori gradu, nobilioribus bonis, quæ talia esse secundum statum hominis ordinarium naturalemque iudicantur, plerumque opposita. At ea quæ haec tenus de coniunctione honesti utilis atque iucundi diximus, de bonis nobilissimis, tanquam de analogato nobilissimo intelligenda sunt.

108. Denique *pro patria periculum subire*, si verum hominem spectes, jucundum pariter ac utile bonum est; Nam vir bonus id facit cum gaudio eoque communem obtinet utilitatem, in qua privata ejus utilitas continetur:

Et

Et insigniter est distingvendum inter mortem
& mortis periculum.

109. Itaque rectius omnino egissent, si in scholis divisionem boni in honestum, jucundum & utile omisissent, quam quod tam confuse ac sine fundamento eandem tradiderunt, praesertim *decoro rursus prætermisso*, id quod neque ad honestum, neque ad utile vel jucundum secundum vulgarem definitionem reduci potest.

110. Quæ cum ita se habeant, prospiciendum nobis est de aliis Boni divisionibus, quæ in prudentiâ cognoscendi bonum & malum majorem illis utilitatem præstent. Imprimis si in antecessum notemus, diversas illas boni malique species, in sequentibus divisionibus proponendas, non esse ejusdem pretii nec gradus, sed alterum genus altero semper esse deterius, Unde duo in genere observanda veniunt. 1. Duobus bonis vel malis diversorum graduum concurrentibus, *inferius superiori semper cedere oportere*. 2. In cognitione Boni semper respiciendum esse gradum summum atque precipuum, quem etiam gradum in definiendo bono nobis tanquam scopum præfiximus.

111. Nam homo, prout jam vivit in mundo dupliciter considerari potest, vel secundum statum suum ordinarium, quomodo secundum cognitionem veri boni constitutus esse debebat, vel secundum statum suum extraordinarium, in

quantum ad ejus voluntatem attinet versatur,
quo vel in quem ipse se per consuetudinem col-
locavit, vel ab aliis detrusus est.

112. *Status ordinarius* est, cum motus singu-
larum corporis humani partium in propor-
tione, inque mensura ac vicissitudine à DEO
ordinata permanet, ac ut ita dicam, quasi in
æquilibrio modo huc, modo illuc inclinat, id
quod non solum de motu sanguinis & spirituo-
rum corporum in nervis, sed & de motu in-
tellectus atque voluntatis intelligendum, ut
utrumque ad bonum tantum impellatur, ac à
mallo abstrahatur, in reliquis autem rebus
sit indifferens. Atque hic status *per se bo-*
nus est.

113. *Extraordinarius Status* est, quando mo-
tus is à mensura divinitus ordinata recedit, &
vel incrementum justo notabilius urget, vel
decrementum immediate & sensibiliter acce-
lerat, sique intellectus ac voluntas ad bonum
tarde, ad malum vero alacres sunt, nec ulli
ratione motum aliquem quietum sentiunt,
sed a quibuscumque rebus externis huc & illuc
rapiuntur. In hoc statu quoad corpus vi-
vunt *egroti*, quoad animam immersi in *igno-*
rantiâ, erroribus, vanitate ac vitiis. Breviter,
quoad voluntatem omnes homines. Et hic
malus est Status.

114. Pro discrimine horum Statuum duo-
rum, bonum etiam atque malum distinctum est,
quo-



quorum illud *bonum malumve ordinarium*,
hoc *extraordinarium* vocabimus.

115. *Bonum ordinarium* Statum hominis ordinarium conservat & promovet, seu bonum verum adjuvat; *Bonum extraordinarium* à Statu extraordinario seu malo adhærente hominem liberat.

116. *Malum ordinarium* hominem è Statu ordinario in Statum extraordinarium detrudit; sed *malum extraordinarium* hominem è malo seu extraordinario statu, extraordinariâ quadam ratione in statum meliorem vindicare conatur.

117. In hoc enim *utrumque boni genus* consentit, quod in utroque certa quædam proportio certusque modus cum lentâ quadam mutatione observari debeat. In eoque *mali utrumque genus* concordat, quod in utroque modis excedatur, ac mutatio nimis repentina instituatur.

118. Perinde ut quid crescit, ita quoq; decrevit. Ac sicut homo bonum suum naturale gradatim quasi acquirit, ita necesse etiā est per gradus eum *mala dediscere*. Non uno momento morbi depelluntur. Membra frigore correpta si calori nimis vehementi subito admoventur, corrumpuntur; Destruitur stomachus, si quis post diuturnam inediā tantū comedit, quantum ei vorandi cupidio imperat. Nil proficimus erroribus atque præjudiciis uno momen-



38 CAP. I. DE PRUDENTIA COGNOSCENDI

to, vel citius quam par est, abigendis, vel vitiis atque affectionibus longa consuetudine contrariis, cum altas jam radices egerunt, simul ac semel dediscendis.

119. Sed hinc simul consequitur; id quod respectu status ordinarii bonum est, malum fore, si homini in statu extraordinario viventi applicetur, contrà quod ægrotō, imperito, virtus dedito bonum est, homini sano, sapienti, virtuoso malum esse posse.

120. Motus temperatus, caro bubula, aer frigidus sano homini bona sunt, sed podagrīco, phthisico, febricitanti, perniciosa. Et eadem re, quam sapiens cum delectione veram esse agnoscit, erroribus immersus offenditur, vel è certe in stuporem agitur ac quasi occoecatur. Virtuosus gaudet quiete animi si solus est, si pauca possidet, si parum comedit ac bibit. Voluptati deditus parum abest quin moriatur prætādio, symposio destitutus & avarus laqueo vitam finit, si thesaurus ipsi aufertur; Vino lentus in morbum incidit, si per ostium vinum ipsi negatur;

121. Contrà ægrotō quies per aliquot dies continuata, medicina morbo ejus applicata, caror extraordinarius, bona sunt. Sanus his mācescit, ac se se corrumptit pharmacis frequenter utens, eundemque ædibus suis calorem præbens quem ægrotantes solent. Errans, qui adhuc hæret in præjudiciis, honesta quādam

fra-

*fraude lucrificandus est. Sapienti fraus os-
mnis suspecta est. Voluptuosi, avari , po-
tatores, *decrecente voluptate, avaritia ac ebrie-
tate sua*, fiunt meliores; sed castus, liberali-
temperans deterior redditur, si in hujusmodi
mediocri gradu, voluptati, avaritiæ atque ebri-
etati fese mancipare incipit.*

122. Cum superius allatâ divisione boni se-
quens cognata quodammodo est. Bonum &
Malum sumitur vel positive, vel privative. i.
e. *Bonum consistit vel in acquisitione rei grata,*
vel in privatione rei ingrata. Et *malum verfa-
tur vel in acquisitione rei ingrata, vel in privatione*
rei grata.

123. Ita *Comparatio artium prius ignotarum,*
acquisitio novorum honorum ac privilegiorum,
*adeptio facultatum, quas haec tenus nondum habui-
mus, &c.* positive bona sunt, sed *liberatio è car-
cere, convalescentia è morbo, &c.* inter bona pri-
vativè talia referenda sunt. Sic *Morbus. Vul-
neratio, Dolor, Ignominia* sunt mala positiva,
*Captivitas vero, amissio facultatum aut dignita-
tis, mala privativa.*

124. Porro bona alia sunt valde *nobilia* &
summe necessaria, sine quibus natura humana
vel plane non subsistere potest, vel misera cer-
te aut manca foret; alia *minus nobilia*, & *neces-
saria*, ita ut homo sine iis & subsistere queat,
& si his destituatur, miser appellari non possit;
In numerum autem bonorum referuntur

C 4 quod



40 CAP. I. DE PRUDENTIA COGNOSCENDI

quod homo ea possidens plus habeat occasio-
nis aliis beneficiandi, quam iisdem desti-
tutus.

125. Ita *Sanitas corporis, Sapientia ac Vir-*
tus bona sunt nobiliora summeque necessaria,
*sed *Libertas, honor externus, opes, Amici, non æ-**
*que necessaria sunt, quo fere etiam *Decorum**
referimus.

126. Inde vero prompte intelligi poterit
duplex malorum ratio, quorum alterum bono neces-
*sario opponitur, ut *morbus, Sapientiae defectus,**
*error, & *vitia;* alterum non tam malum est quam*
indifferens, quia bonum ipsi oppositum non
*est necessarium, ut *privatio vel defectus liberta-**
tis, honoris, divitiarum, cui etiam ignorantiam de-
covi & alia quæ ad sapientiam homini nil confe-
reunt, annumeramus.

127. Et in hac quidem divisione ad natura-
lem essentiæ humanæ æqualitatem respectum
habui, sed si inæqualitas societate civili intro-
ducta respiciatur, non est diffendum, quod
suprà quoque notavimus, *decorum bonis neces-*
sariis annumerandum esse, quatenus absque
eo nemo emergere in civili societate potest,
*sed hoc respectu *Libertas quoque, honor, o-**
**pes necessariis bonis accensenda sunt.* Ita ne-*
*duæ hæ appellations confundantur, *bona ne-**
necessaria dici possent vel absolute necessaria, vel
ex hypothesi status corrupti socie-
tatis civilis.

128. De-



128. Deinde Bonum aliud est *immediatum*, quod hominis durationem & naturam per se conservat, ut *Vita*, *Sanitas*, *Sapientia*, *Virtus*. Aliud *mediatum*, quod facit ad obtainenda auctandaque dicta bona immediata, ut *Pecunia*, *Cibus & Potus*, *Studia literarum*, *exercitatio in actionibus virtutis*; illud *scopi rationem* habet actionum humanarum, hoc *mediorum* ad scopum istum tendentium. Et quanto magis hæc media remota sunt, vel quanto facilius homo iisdem carere potest, tanto in minori gradu boni ea poni merentur.

129. Denique cum tam boni quam mali distincti sint gradus, ac supra monuerimus, bonum & malum maxime durable reliquis boni malique generibus semper esse superius, respectu etiam hujus observationis *Bonum* vel pro *bono reali* accipitur, ut *Vita*, *Sanitas*, *Virtus*, vel pro *minori malo*, ut amissio bonorum provita conservanda, mors pro amicis susceppta, &c. Similiter & *malum* vel pro *actuali malo* sumitur, ut morbus, error, vita disoluta, vel pro *minori bono*; ut acquisitio divitiarum cum jactura sanitatis; felix memoria cum abscessione vel saltem imminutione judicii, eruditio in rebus externis prætermissa cognitione sui.

130. Diximus supra divisiones huc usque traditas diversos boni gradus proposituras esse; itaque jam breviter ostendemus, quænam inter genera hactenus recensita *nobilissima* sint,



nimirum Bonum *ordinarium*, bonum *privativum*, bonum respectu naturæ humanae *absolute necessarium*, bonum *immediatum*, denique bonum *reale*. Atque ad hæc boni genera homo maxime respiciat, & ad ea maxime quadrat nostra boni definitio.

131. Sed hoc *in vita communi* malâ quâdam consuetudine fere invertitur. Nam cum plerique, imo respectu voluntatis omnes homines, vivant in statu extraordinario atque corrupto, bonum etiam extraordinarium longe præferunt ordinario; imo & *in ordinario statu bono* extraordinario sepe utuntur tanquam regula quâdam vivendi, monuimus autem bonum extraordinarium sic usurpatum, in alium esse.

132. Hujus rei exempla millena ac pluram possemus adducere. Quam multi bona *valeutine fruentes pharmaci* affluverunt? quot Medici sanis hominibus imperant, ut aliquando fiant ebrii? quam multi opinantur aquam quam Deus homini in potum concessit, insalubrem esse, eo quod vinum debili stomacho sit necessarium. Ac ut dicam quod sentio, *educatio liberorum nostra universa* ob hoc præiudicium nullius pretii est, quod liberos nostros à tenellis non aliter ac ægrotos educamus, ac in universum fere reddimus ægrotos.

133. In *bono positivo* adhuc plures grassantur errores, quia multi etiam ex ordine eruditorum fortasse me irridebunt, quod *bonum privativum excellentissimum boni genus statui*. Sed si



si exempla superius allata considerentur; ista mea sententia non adeo videbitur ridicula, præsertim cum jam supra notaverimus, hominem plurimis in mundo rebus posse carere, adeoque bona positiva maximam partem pertinere ad bonum non necessaria. Quà de causa etiam in societate civili v.g. huic qui alterum ex vindictâ occidit, vel divitiis inhians furtum fecit, gravior poena irrogatur, quam ei qui in moderamine inculpatæ tutelæ limites excessit, vel qui famis explendæ causa furtum commisit. Taceo bonum positivum quietem animi turbare magis quam promovere, privativum autem eandem ab incommodis adversis liberare. Imo si nil aliud esset in promptu quod opponeremus his qui sententiam nostram oppugnant, certe Epicuro in partes vocato eos cogeremus subrubescere, qui suajam ætatem iisdem rationibus motus, voluptatem nil aliud esse definivit nisi carnem quandam doloris & tædii.

134. Porro in bono *necessario*, manifestum est totum mundum Libertatem, Opes, Dignitates, Decorum, Sanitati, Sapientiæ ac Virtuti anteponere; Imo in his pecuniam, quantumvis sit medium ad bonum admodum remotum, aliis rebus omnibus præferri, eamque secundum vulgatum errorem stultos sapientes, scleratos virtuosos, ac ipsos prope ægrotos sanos efficere.

135. De reali etiam bono nemo fere solitus est, quia in meritis hæremus malis, adeoque quo-



44 CAP I. DE PRUDENTIA COGNOSCENDI &c.

quotidie consuevimus è duobus *mali*, imo ex duobus bonis, *minimum* eligere.

136. Itaque cum oporteat hominem omnes actiones suas ita instituere, ut bonum obtinere & beate vivere queat; neque id tamen absque usu rationis legitimo consequi pos sit; consecrata est isti negotio certa Philosophiae pars, quæ ideo *Philosophia Prædicta* appellatur, adeoque nil aliud est quam *Eruditione ostendens homini, quem ad modum bene beateque vivere debet.*

137. Istam vero beatitudinem necesse est ut prius bene ac perspicue intelligat, in quo ea consistat, & quid in ea assequenda Deus ipsi agendum præceperit, deinde videat qua ratione tollat *impedimenta*, quæ ipsum detinent ne beatitudinem dictam consequatur.

138. Et hæc quidem impedimenta aut ab ipso veniunt *homine*, ex affectibus ejus. Hos coercendos ostendit *Ethica*; aut *forinsecus* accedunt.

139. Eaque vel oriuntur è *defectu*, quem abigere docet *Oeconomia*, vel è *metu à vi externa* aut *insidiis*, quibus impedimentis præceptis traditis medetur *Politica*.

CAPUT II.
DE
SUMMO BONO HOMINIS.

ARGUMENTUM CAPITIS.

Definitio Ethices. n. 1. Qua in re summum bonum hominis consistat? n. 2. graviter controvertitur inter Phi-

Philosophos. n. 3. Summum bonum sumitur dupli-
 citer (1.) pro bonorum hominis n. biltissimo n. 4. In
 hac significatione sumptum non potest consistere in
bonis fortunæ n. 5. 6. nec in *divitiis ac digni atibus*,
 quoniam hæc non sunt in nostra potestate n. 7. ne-
 que horum possesio aliquem beatum facit, neque
 defectus infelicem. n. 8. Hæc observatio in praxi
 passim negligitur n. 9. & cum verbis tuis ipso facto
 etiam ab eruditis impugnatur n. 10. nec in *multi-*
tudine amicorum, quatenus amici ad bona fortunæ
 referuntur, cum Vir sapiens multos habeat inimi-
 cos, & qui amicos multos habet, longe miserrimus
 sit n. 11. 12. neque in *libertate* n. 13. et si ea sit bo-
 num inæstimabile n. 14. & mancipii & mortui
 eadem videatur esse conditio n. 15. 16. & ad perpe-
 tum carcerem damnatus mortuus habeatur. n. 17.
 Non in *Decoro* n. 18. in bonis *Corporis ac Animæ*
 imprimis cavendi sunt errores vulgati n. 19. Vitam
 & sensus ad animam humanam pertinere n. 20. 21.
 vel corpus esse carcerem hominis. n. 22. 23. *Vita ho-*
minis est fundamentum summi boni, & quatuor ex
 partibus conficitur n. 24. Quarum nulla sine cæte-
 ris esse potest n. 25. (1.) Integritas partium corpo-
 ris humani, (2.) Motus sanguinis n. 26. (3.) Mo-
 tus nervorum n. 27. Motus sanguinis conjunctus
 est cum motu nervorum. n. 28. & ab utriusque al-
 teratione dependet & alteratio cogitationum & ra-
 tionis humanæ n. 29. (4.) Motus cogitationum.
 Absque his homo ne homo quidem est. n. 30. Re-
 sponsio ad obiectiones oppositas n. 31. de Embryo-
 nibus, de jacentibus in deliquio n. 32. de apople-
 xicis n. 33. item de mente captis & furiosis n. 34.
 qui vere cogitant n. 35. denique de mutilis n. 36.
 Possunt tamen quatuor istæ partes minui, vel alte-
 ra pars altera debilior esse potest, vel necessitas
 quædam homini potest suboriri, ut pro altero con-
 servando alterius jacturam faciat n. 37. Quodnam
 hec

C A P . II.

45

hoc casu intercedente alteri preferendum , sum-
mumque bonum sit ? n. 38. In *sanitate* summum
bonum non continetur , non est enim in nostra po-
testate n. 39. & homo *sanus* , sed erroribus immer-
sus miser est n. 40. eoque magis si vitiis deditus est
n. 41. Nec ideo tamen Sapiens & virtuosus miser
est , licet ægrotet , n. 42. Virtus nobilior est *Sapi-
entia* n. 43. Intellectus non prodest homini in con-
templatione boni , nisi Voluntas id apprehendat . n.
44. Summum bonum non consistit in disciplinis in-
utilibus & jucundis n. 45. neque in *Physica* aut Ma-
thesi n. 47. 48. 49. Quia hominem nunquam redi-
dunt quietum , n. 50. Esi non vereantur hodie sum-
mam felicitatem in his querere n. 51. Nec *Virtus*
est summum bonum n. 52. Intellectus non potest
esse absque Voluntate , neque Voluntas absque In-
tellectu. Fabella de Voluntate tanquam Rege , &
Ratione tanquam Consiliario ejus. n. 53. 54. 55. 56.
Summum bonum hominis in Voluntate & Ratione
conjunctione , sive in *Animo* & cogitationibus queren-
dum est n. 57. 58. Sine cogitationibus homo nec
bonum nec malum sentit. n. 59. Felicitas ejus in
cogitationibus magis , quam in ipsa perceptione
consistit n. 60. Et cogitationes malum hominis ef-
ficiunt n. 61. Maxima eius felicitas versatur in co-
gitationibus quietis ac moderate se variantibus.
n. 62. Id vero *tranquillitas* seu *oblectatio animi* ap-
pellatur. n. 63. Ea percipitur magis quam definitur
n. 64. Ejus Definitio n. 65. Oblectatio est , & caret
dolore n. 66. sed quieta tamen , & absque gau-
dio n. 67. 68. In reliquis bonis omnibus studio-
se queritur n. 69. Desiderium eius cum aliis
se conjungendi non est inquietum , sed tantum
indicat quietem ejus esse motum temperatum. n. 70.
Ratione originis & effectus est *avor rationalis* n. 71.
72. Bestiae carent amore & socialitate n. 73. Ho-
minem oporteret esse miserum humana societa-

te



te destitutum n. 74. Imo ne homo quidem esset n. 75. nec posset opia^ta delectatione frui. n. 76. nec si misanthropus esset, & in Bibliothecis sese abdere. n. 77. Pleraque oblationes societas humanae præsupponunt. n. 78. Homo ad pacatam societatem conditus est n. 79. adeoque ad amorem quietarum mentium. n. 80. Prudentes magis amant alios quam seipso^s n. 81. 82. Etiam maxime vitiosi re ipsa alias creaturas magis amant, quam seipso^s n. 83. Quod probatur exemplo Voluptuos*i*, Ambitios*i* & Avari. n. 84. 85. De appellatione summi boni non est disputandum n. 86. 87. (II.) *Pro integro perfe^ctoque complexu bonorum humanorum omnium*, vel simul etiam non necessariorum. n. 88. 89. vel necessariorum saltē n. 90. 91. *Divitiae ad quietem animi* non sunt necessariae n. 92. 93. *Paupertas mala* non est n. 94. De extrema paupertate quid statendum. n. 95. Honor externus nudum decus est summi boni n. 96 — 100. Externa ignominia neminem facit miserum n. 101. 102. sed verum honorem potius auget n. 103. *Decorum* non nisi ornamentum quoddam est n. 104. 105. Ejus defectus nonnunquam malis rebus est annumerandus n. 106. 107. præsertim si accedit impudentia n. 108. cæteroquin est tantum defectus aliquis ornamenti n. 109. *Pudor* non semper est ornamentum Viri sapientis n. 110. 111. *Libertas* nudum est ornamentum n. 112. *Copia amicorum* ne ornamentum quidem est. n. 113. sed indicium, quod desit animi tranquillitas n. 114. Omnia bona fortunæ non sunt partes necessariae tranquillitatis animi n. 115. *Vita* est fundamentum tranquillitatis animi, nec mors tamen hominem reddit miserum n. 116. *Sanitas* est necessaria quædam pars tranquillitatis animi n. 117. Discrimen inter virum sapientem & imprudentem in morbis vires consumentibus, sed non dolorificis n. 118. 119. In morbis dolorificis



cis n. 120. vir sapiens non perfecte quietus, nec miser tamen est n. 121. Adeoque sanitas non est pars essentialis tranquillitatis animi n. 122. Imprudentes in morbis etiam dolorificis, magis sunt miseri quam Viri sapientes. n. 123. *Sapientia & Virtus* sunt partes essentiales tranquillitatis animi n. 124 eorumque defectus hominem summe reddit miserum. n. 125. neque id tamen intelligendum est de apparenti sapientia ac virtute fucata, n. 126. 127. Cur *Voluptatis corporis* non fiat mentio n. 128. 129. Nullus unquam Philosophus voluptatem corporis pro summo bono vendit. n. 130.

I.

ITaque Doctrina Ethica nil aliud est quam doctrina hominem instituens, quibus in rebus rerum summumque bonum consistat, quā ratione id consequi, atque impedimenta quae ipse sibi injicere solet, amoliri superareque possit.

2. Enumeratis ergo præced. cap. diversis boni hominis generibus, nunc ante omnia est explicandum, quibus in rebus summum hominis bonum consistat.

3. Præsertim cum Philosophi tanta contentione de hac questione olim inter se concertarint, & adhuc controversentur, et si haec controversia nomen magis quam rem ipsam concernat, certè ut vulgo agitatur, subtilis magis sit, ac inanis speculationes redolens, quam explicata & utilis. Nos pro consuetudine nostra rem perspicue, ac ut ab omnibus intelli-

ga-

gatur, & quoad in doctrina morali potissimum usurpari potest, proponemus.

4. *Esse felicem*, idem est ac possidere summum hominis bonum. *Summa autem beatitudo sumitur dupliciter*, primùm si diueria hominis bona respectu diversorum graduum, qñ his insunt, inter se comparantur, pro possessione boni nobilissimi; deinde intuitu perfectionis ejus, pro possessione bonorum hominis omnium simul sumptorum, vel certe eorum quæ suprà summe necessaria vocavimus.

5. Quod ad priorem significationem attinet, statim in principio superiori capite annotata ostendunt, cum *divitiae, honor, libertas, amici atque decorum* non sint bona necessaria, etiam nullum horum pro summo hominis bono haberi posse.

6. Taceo, quod Deus homini hoc implantat, ut bonum persequatur, & consequenter etiam summum istud bonum ab homine obtineri queat, certe non à sola fortuna dependat, cum genera modo recensita omnia inter bona fortunæ, etiam secundum vulgarem opinionem referantur.

7. *Opes atque honores sumnum bonum esse nequeunt*, cum omnes regulæ quas ideo in Oeconomia ac Politica tradituri sumus, quia levi solum fundamento nituntur, *in infinitis modis decipere queant*, dum Deus quotidie innumeris exemplis demonstrat, imprudentissimos homines ad opes atque honores pervenire, D eos-



eosque qui secundum fundamenta sanæ rationis dvitias ac honores ambiunt, sëpe in paupertate & statu infuso detineri.

8. Porro rex *opulentissimus* ac *potentissimus* vera miser est, quando ægrotat, vel *infirma* cum *valetudine* conflctatur, vel aliam quandam in animo *inquietudinem* atque *angustiam* sentit. Cum ex adverso homo *pauperrimus*, qui e. g. nudus ex incendio repentino evasit, modo *san*o sit corpore atque virtuosus, revera miser non sit, quia vel commiseratione aliorum (*sine turpi ac vituperandâ mendicitate*) vel labore sufficienter occasionem invenit, quam nuditati sue consulat, vel fami medeatur; vel in horridissima sylva delitescens (*modo affectibus suis imperare didicerit*) aqua & radicibus necessitate cogente, contentus esse potest. Et *Papinianus* etiam imminente ejus cervici *carnificiis* securi, ob quietem animi præstitam à sapientibus *invidia* dignushabeatur, quid si à tyranno honoribus tantum privetur, & in statu vulgi existimatione abjectissimum detruatur.

9. Sed quid amplius hisce immorabitur postquam in omnibus nostris scholis trivialisibus & Academiis hoc dogma, summum bonum in dvitias ac honoribus non consistere, studiosis inculcatur. Hoc non obstante, accuratius quæsto hanc propositionem expende quia *vulgata praxis* in *superioribus* ac *inferioribus* imo in summis scholis i. e. in aulis *magnatum* huius dogma



dogmati reclamat. Omnes, ne exceptis quidem his, quibus incumberet doctrinam suam exemplis confirmare, honoribus & divitiis, tanquam summo bono, cum detimento valedudinis, cum privatione licitarum delectationum, & cum perpeſſione mille ærumnarūn fere intolerabilium, denique cum ipsius vitæ & quietis animi periclitatione inhiant.

10. Imo quid aliud agunt, quam ut hanc theſin *aliis cum verbis tum dogmatibus labefactent.* Quoties Doctores extra cathedram dicere solent: *Pecuniam qui habet, is habet omnia, Pecunia carens stultus est.* Quàm miserè abutuntur proverbio: *Opes qui amisit, animum amisit, qui honores amisit, omnia amisit.* Et quanto niſu laborant eruditī, ut communem hanc theſin suam certatim proſtituant, cum ſecundum phrasin Satyrici cuiusdam Galli, in *dedicationibus* librorum fuorum, quibus ineptiſſimos ministros Status, vel indigniſſimos fœneratores honorant, Hebraicè, Græce atque Latine demonstrare conantur, hos esse viros eruditione ac virtute excellentes. Ne dicam, cum olim *honor virtutis merces creditus* sit, hodie toto orbe terrarum honores pecuniā palam comparari.

11. De *Amicis* necessarium existimo monere, per amicos ſi bonis fortunæ annumerantur, quorum defectus hominem certe miserum non reddit, intelligi *multitudinem hominum opulentorum* atque potentum, qui que ob privatā ſua commoda fortunatam nostram pro-



moveare ac damna nostra propulsare conantur, In hujusmodi amicis tanto minus summum bonum consistere potest, quanto magis extra dubium positum est, *virum bonum atque sapientem amicis abundare non posse*, sed consentaneum esse, ut necessariò inimicos habeat quamplurimos, quia alias ne sapiens quidem ac virtuosus esset. Adde hos *qui omnium amicitiam ambunt*, nec quenquam offendere audent, omnium esse miserrimos, quia sibi ipsis summas quotidie molestias creant, & nihilominus inimicos plurimos habent; unde non immerito neutri parti in bello addictis comparantur.

12. Nec de *vera tamen ac rationali amicitia* jam sermo est, consistente in duorum animorum virtute præstantium constanti quadam conjunctione, sed mox videbimus, sine ea sumum bonum consistere non posse.

13. *Libertas* paullo majoris fortasse est indaginis. Ferè enim habetur pro bono *inestimabili*. *Mancipium unani legum consensu bestiis*, item *mortuis*, æquatur, at quid magis est miserum bestiā vel cadavere? Et *carceri inclusi*, hisque magis adhuc ad *perpetuos carcera* *damnationi*, *viventes mortui* sunt.

14. Sed ora te, noli his ullâ ratione moveri. Esto. *Libertas* sic *bonum inestimabile*, tamen hoc nil probat, nisi quod ea omnibus divitiis sit anteferenda, non vero quenquam, e. g. subditum, vel *mancipium libertate destitutum esse miserum*. Quantacunque tandem gaudeas

li-



libertate, si ægrotas, sanum quoddam *mancipium* meliori quam tu fortunâ fruitor.

15. Etsi vero *mancipia* in jure civili *mortuis* comparantur, tamen id privilegia tantum concernit liberis civibus competentia, & quibus homo, ut homo, carere facile potest. Respetu juris naturalis reliquis hominibus æquales etiam in jure Romano censentur.

16. Imo quid prodest prolixè afferere *pri-
sea mancipia* æquari bestiis & mortuis? Familiarer est Juri Civili in fictionibus suis ac consuetudinibus rem aliter ac durius describere quam ipsa veritas patitur. *Romanorum certe mancipia* sæpe delicatius vivebant & tranquillius, quam cives nostri urbani opulentiores cuiuscunque sint status, ne dicam rustici. Et posito, eorum aliquos vixisse in statu abjecto & vulgi opinione misero, ego tamen si optio mihi daretur, mallem esse miser Epictetus, quam Cæsar, vel Antonius, imo ipse Augustus.

17. Denique etsi ad *perpetuos carceres* damnati in aliorum memoria sint *viventes mortui*, tamen plus habent occasionis in carcere sibi ipsis vivendi; imo Deus non nullos hoc remedio eripit è vivâ morte voluptatis avaritiae & ambitionis, ut in carcere per agnitionem sui vivere incipient. Præterea in exilium missi ratione juris civilis, ad quod, sicut dixi, jam non respicimus, similiter viventes mortui sunt, quamvis in summa vivant libertate.

18. Porro *Decorum* mire quidem ornat ho-

D 3 mi-



minem, imo positum etiam est in hominis arbitrio, certe ab omnibus in quocunque vivant statu, sine labore ac pretio obtineri potest. Nec hominem tamen cum *adversa valetudine*, conflicantem, vel *erroribus vitiisque immersum* reddit fortunatum, imo *defectus decori* (modo hunc ab indecoro vel ab impudentia recte discernamus) non magis miserum reddit hominem, quam *defectus elegantium capillorum* corpus humanum facit mancum.

19. Nunc consideranda etiam sunt ea bona, quae supradiximus esse nobilia atque necessaria, quippe ex quibus consistat hominis essentia, bona videlicet *corporis & anime*. Ubi præprioris vitandi nobis sunt vulgati errores quibus *bona hec sibi mutuo opponuntur*, quasi alterum absque altero esse, & secundum dictum rationis conservari queat, vel *quasi essentia hominis in sola anima consistat*.

20. Huc pertinet id, cum vulgo fere ad *corpus sanitatem atque integratem membrorum*, ad *animam vero primum vitam*, deinde *sensus*, ac postremo *rationem* referunt; sive statuatur homini *tres esse animas*, *vegetativam*, *sensitivam* atque *rationalem*, sive *animam humanam* habere *tres operantes proprietates*, quarum *vita homini cum plantis*, *sensus cum bestiis* sit *communis*, sed ratio ipsi soli competat, unde & homo initio in utero materno ut *planta*, deinde post nativitatem in prima pueritia ut *animal vivat*, donec tandem, quamprimum ratione sua

sua uti incipit , vivere etiam ut homo incipiat.

21. Ex quo porro argumentari solent, *vitam sanitati, sensus vita, rationem vero tribus hisce præferendam*, unde complura enascuntur inconvenientia, quæ jam non attingemus.

22. Alius seie offert error eorum qui *corpus pro carcere solum habent animæ, non pro parte ejus.* Unde non adeo mirum est Stoicos atque Epicureos delirasse , *virum sapientem in medio igni non minori animi tranquillitate frui, quam si in horto amoenissimo sedeat, item in magnis cruciatis os quidem viri sapientis ululare, ejus vero animam quietam esse;* pluraque ejus generis absurdia statuisse.

23. Novimus hominem consistere è duabus partibus essentialibus, *Animâ & Corpore*, sed hæc duo summa ac ineffabili unione esse connexa, adeo ut anima de sanitate corporis , corpus vero de vita , item de sensibus & cogitationibus animæ aliquid participet.

24. Cum enim *Vita* hominis accipiatur pro corporis animæque coniunctione, dubium non est, quin *Vita* sit fundamentum summi boni hominis; Nam hoc sensu nil aliud est quam Duratio essentiæ humanæ, simulque circulationem sanguinis, motumque spirituum animalium itemque anime, ac integratatem partium corporis humani , in quibus motus isti fiunt, in se complebitur.

25. Et quatuor quidem *partes istæ* ita mutuo connexæ sunt, ut harum nulla sine reliquis esse que-

D 4 at,



at, & a constanti felicitate unius, etiam bonitas alterius pendeat.

26. Ubi defunct partes humani corporis, ibi nullus est homo. Et si hisce in partibus nulla est circulatio sanguinis, homo mortuus est, & consequenter neque sensus habet neque rationem.

27. Si in Nervis nullus est motus, externa etiam membra se movere nequeunt, imo corpus humanum nullum amplius habet sensum. Sed si homo sensu ac motu caret, mortuus est. Quomodo autem in homine mortuo sanguis moveretur, in quo motu vita consistit. Imo qua ratione cogiraret & ratione sua uteretur?

28. Adde quod motus in nervis & venis ita mutuo nexu conjunctus est, ut nervorum motus recte usurpatus motum etiam sanguinis in statu suo ordinario simul conserveret, contra motu externo nimis parce instituto, & sanguinis motus sistatur atque putrefcere incipiat.

29. De ratione autem constat, pro diversitate motus sanguinis cogitationes modo alacres modo stupidas, deinde pro diversitate motus in nervis cogitationes modo concitatas atque intentas, modo indifferentes esse, atque adeo rationem humanam pro conditione utriusque motus alterari. At quid cogitaret si nullus neque sanguinis neque nervorum fieret motus?

30. Denique si anima in cerebro humano amplius non movetur, quippe cuius natura in continuo motu constitut, homo pari ratione homo esse

esse desinit; imo hoc esset indicium eum amplius non vivere, quoniam homine vivo in eius cerebro omnis motus sanguinis & spiritus ad nervos pertinentes præparantur. At si in cœrebro humano anima motum sisteret, quomo-
do dicta præparatio ibi fieret, & cur ea fieret?

31. Quod autem triplex iste motus vitæ hu-
manæ unâ cum integritate partium ita vulgo
considerantur, quasi ab invicem separari queant,
inde factum est, quod in oblatis objectionibus
rem non accurate expenderunt, sed insigni
præcipititia fere deceperunt.

32. De conditione *embryonum* prolixè non
differemus, quibus nonnulli veterum Philoso-
phorum animam saltem vegetativam, aliqui &
sensitivam, alii rationalem quoque visi sunt tri-
buere, eo quod conceptio ac formatio homi-
ni in utero debili intellectui nostro forte per-
petuo incognita manebit. De iis saltem dice-
mus qui *jacent in deliquio*. In his *motus sanguinis*
evanuisse videtur, vivunt tamen, mortuis e-
nim accenserine queunt. Sed distinguendum
est inter motum tardum & nullum. Sanguis
(non minus etiam spiritus animales) in deliqui-
um passis tarde admodum movetur, ita ut ex-
trinsecus non animadvertisatur, sed movetur
tamen.

33. Similiter si quis *apoplexia percussus* fuerit,
si apoplexia motum nervorum omnino tollit;
homo mortuus est, sed si eundem saltem debili-
tat, vel in aliquibus tantum membris corrum-

D 5 pit,



pit, homo vivus equidem manet, non potest autem istud haberi pro exemplo, hominem æque posse manere vivum, si omni nervorum motu destituatur.

34. Porro *mente capti & furiosi* revera habent intellectum, & actu cogitant (ac si omnino non cogitarent, tamen in eis anima humana moveretur, sicut in infantibus & arctiore somno oppressis) sed confuse ac stulte cogitant, labefactatis minutis cerebri particulis, vel ab alias rationes. Adeoque exemplum hoc ne sic quidem idoneum est, ut demonstret hominem sine motu animæ posse vivere.

35. Scio equidem hanc thesin meam his, qui Cartesiani non sunt, absurdam videri; sed si ideo *mente captis atque furiosis cogitationes derogant*, quod eorum cogitationes tam imprudentes sunt, coguntur etiam affirmare, quod *somniantes non cogitent*, imo quod tot vigilantes, prudentes, eruditii, honorati non cogitent, qui e.c. contendunt; non esse recedendum ab opinionibus majorum receptis, vocatione opus esse ad faciendum bonum; Terram, Aquam, Aërem & Ignem esse quatuor elementa, &c. id quod valde ineptum foret, & à nemine crederetur.

36. Denique non diffiteinur hominem urgente necessitate inter membra corporis brachio vel pede posse carere, neque ideo tamen carere posse capite, adhuc minus insignem quan-

dam



dam læsionem cerebri, cordis, venarum principaliū vitā salvā sustinere, nēdum universis corporis partibus privatum subsistere posse.

37. Etsi autem quatuor dictarum partium corporis humani nulla sine reliquis esse potest, negandum tamen non est, easdem partim minui posse salvo manente toto, ut si homo brachium vel pedem amittat, si exiguam & brevem alterationem sanguinis sentiat, si apoplexia manus ipsi obtorpescat, si intellectus eius non eadem alacritate gaudeat. &c. item membrum alterum altero posse esse debilius; e.g. Homo brachiis carens pedum usui loco manuum potest assuefcere; cœcus colorum differentiam tactu explorare potest; Quod memorie decedit, accrescit judicio. &c. item hominem summam effitatem coactum ē duobus malis alterum eligere, ac pro alterius salute, alterius jaclitram facere fore.

38. Iam cum per superius tradita minimum bonum pro malo, minimum vero malum pro bono habendum sit; dispiciendum utique est, quodnam essentialium hominis bonorum alteri in comparatione preferendum sit. Sed ne prolixius excrescat nostra disputatio, cum non magnopere ingenio res egeat, spectata comparatione partium humani corporis atque sensuum, sed ab homine naturali intellectu prædicto facile dijudicari queat, in genere saltem bona corporis humani, quæ supra conjunctim sanitatem vocavimus, cum bonis animæ comparabimus, ac de-

in-

incepit hæc præcepta juxta se posita accuratius
examinabimus.

39. Ac primum quidem *sanitatem corporis*
non est dubium summam felicitati hominis in-
signem quidem perfectionem conciliare, ipsam
tamen *veram felicitatem* in ea nequaquam consi-
stere, partim quod sanitas non semper posita sit
in *hominis arbitrio* sed multis casibus extrinsecus
accidentibus obnoxia, ac homo accedente vi
aliena sanitate privari possit, partim quod ipsa
per se hominem *nec felicem*, nec erecta *infelicem*
reddere queat.

40. Finge tibi hominem *integra sanitatem*,
membris robustis, facultate edendi bibendique
valentem, & cibum potumque bene digerendi,
atque ad omnia corporis exercitia idoneum.
Ecquid autem hæc ipsi prosunt, si *ignorantie*
erroribusque perniciosis immersus est, & ob præ-
judicia autoritatis humanae & propriæ præcipi-
tantiae verum a falso nequit discernere; Non is
revera omnium est miserrimus, cum ob dicta
præjudicia à scopo à D E O sibi præfixo indies-
longius declinet, non hoc respectu bestiæ me-
liori sunt conditione, quoniam interno impul-
su suo finem suum longe rectius attingunt,
quam istiusmodi homo? Nonne majori cum
periculo conjuncta est eius miseria, quia ita e-
um occœcat, ut quam miser ipse sit non intel-
ligat, sed conditionem suam bonam, ac se felici-
cem existimat?

41. Quod si præterea ob *vitam sceleratam*
cum



cum insigni quadam *animi perturbatione & pavore conscientia* luctatur, ecquid magis est miserum tali homine, quantumvis fano? Nonne animi sui inquietudo sufficiens est, ut vires sanitatis lenta quadam morte ipsi absorbeat, penitusque consumat?

42. Contra vir *bonus ac sapiens lenta febri* decumbens, vel tabe &c. laborans, juréne dici potest infelix, si intellectu est quieto, animoq; pacato, etsi non sit felix *in tanto gradu*, quam si sapientia & virtuti eius corporis quoque sanitatis accederet?

43. Porro in bonis Animæ attenta cautio est adhibenda, ne in *collatione notitiae veri & falsi*, quæ sedem habet in intellectu, atque in *actionibus à voluntate hominis oriundis secundum virtutem institutis* temerè pronunciemus. Et actiones quidem sine prudenti directione opinionis in intellectu humano consistere nequeunt; tamen etsi nil aliud accederet, notitiis vel ideo longe sunt præstantiores, quod *intellectus* quantum bono considerando occupatus est, illud tantum cognoscit, nunquam autem consequitur, sed bonum intuitu intellectus faltem tanquam remotum & futurum quid considerandum est, quod intellectus nunquam assequitur, neq; assequi etiam potest: cum Voluntas, quoad externis actionibus imperat, ut bonū persequantur, istud etiam obtineat, adeoq; homo bono illo fruatur.

44. Quod ut rectius intelligatur, hāc vice, nondum trademus exemplum de summo homi-

minis bono, sed ab illis boni generibus hactenus
enumeratis petitum. Quid prodest homini,
si ingeniosissime *ratiocinatur*, quemadmodum
vita honeste degenda sit, quemadmodum sit *honoribus*
studendum, *amici comparandi*, *libertate re-*
steutendum; si de *moribus elegantibus*, quorum
in humana conversatione usus est, apte scit
differere, si de *sanitate*, quemadmodum ea con-
servanda, ac amissâ reparanda sit, exquisite lo-
qui & scribere valet, si interim omnes facultates
suas *dilapidat*, vel si *negligens* est, atque laborem
detrectat, vel si *honorem & dederus juxta estimat*,
si cum *nemime pacem* colit, si *libertate sua abu-*
tur, si ipse *moribus* est *incultus* atque *agrestibus*,
si vita inordinata *sanitatem* a DEO sibi imper-
titam destruit; num cognitio veritatis, quam
ratione sua comprehendit, eum potest redde-
re fortunatum? nonne ea iniquitudinem eius
potius adauget, tanto magis, quanto plus oc-
casionis ei inde offertur miseriâ suam sponte
contractam expendendi, & ipse se se per pro-
prias cogitationes condemnare cogitur?

45. Ex adverso considera hominem com-
muni saltem *naturalique* pollentem intellectu, et
si nomen eruditii non admodum sibi sumere
audeat, cuiuscunque sit conditionis, is si *al-*
quartas sibi *facultates* conquirit, easque pruden-
ter collocat, & peritia sua *e pulvere emergit*, &
ab honestis ac probis omnibus *diligitur magni-*
estimatur, si *liberatatem* suam nulla in re alia qua-
rit, nisi ut aliis benefaciat, eosque adversus
quas.



quascunque injurias atque oppressiones defendat, si omnibus sese præbet *modestum*, seque omnium ingenio & necessitati accommodat, ut quamplurimos lucri faciat; denique si vitâ temperanti, & suppressione affectuum *valeutudinem* suam in statu divinitus sibi concessio conservat, num vel minimam habes dubitandi causam, quin is hunc quam supra diximus, longe felitatem antecellat?

46. His ita sese habentibus adhuc minus dubii restat, disciplinas eas in quibus intellectus humanus sese abstrudit, eo fine, ut speculatio ne rerum subtilium sed *inutilium*, vel terminorum obscurorum nihilque significantium, vel rerum saltem *elegantium* & *jucundarum* homines his imbuti reliquis sese preferant, nequaquam ad summum hominis bonum pertinere, sed vel *summo malo* accensendas, vel *nuda ornamenta* vi ri fortunati habendas esse, quæ cum felicitatem nullam, quam exornent, offendunt, parum abest quin æque vana sint ac prioris ordinis disciplinæ, quales sunt *Philosophia scholastica*, *Logica vulgaris*, *Philologia*, *Historia*, *Poësis*. *Oratoria*. &c.

47. Ac si vel maximè homo hujusmodi disciplinis prærogativam aliquam non afficeret, sed intellectum suum corrigere tantum studeat, atque humano generi novis repertis veritatibus inservire; sed haec essent hujusmodi, ut in contemplandis creaturis extra se magis magisque eum à cognitione sui abducerent, quod ac-



accidit his, qui in *Physica & Mathematicis disciplinis* nimis speculationibus indulgent; videntur hæ quidem initio, summum bonum, si non perfecte confidere, tamen eius *insignem* quandam *partem* constituere, negari enim non potest inventionem hujus generis veritatum ingentem homini afferre delectationem, & e.g. inventionem veritatis cuiusdam *Mathematicæ* vel *Physicæ* æque, imo magis hominem jucunditate suâ afficere, quam sensibiles voluptates, præsertim si consideramus, iisdem corpus non debilitari nec sanitate privari: tamen re paullo accuratius expensâ facile apprehendemus ne hanc quidem opinionem exceptione carere.

48. Non jam equidem opponam, ejusmodi *bominibus* fere *irregularare* quid atque *insolitum* quo ad *mores consuetos familiare esse*, eosque sepe insigni quodā defectu decori laborare. Nam præter id quod iam supra de defectu decori in genere notavi, videntur ipsis rationes nequaquam defore, quibus vel minutum hunc defectum excusent, vel pulcritudinem atque utilitatem è veritatibus quas invenerunt emergentem ipsi opponant.

49. Neque notabo, eius generis eruditos raffinatissime *affectibus suis imperare* didicisse, sed etsi fere vacent enormi voluptate, raro tamen impatientiam suam, iram, emulationem, dissidentem, invidiam, ambitionem posse coercere. Nam hæc singula videntur suas passim habere ex-



exceptiones, adeoque non ipsis disciplinis, sed earum abusui esse tribuenda.

50. Sed hoc saltem monebo, quod præstantes hi viri valde se decipient, existimantes hisce disciplinis *placidam delectationem* se se confecutos, atque hæc via ad summum bonum adspirare posse. Utraque harum scientiarum inexhaustum Veritatum innumerarum Oceani continent, quem superare nemo potest, universaliter etate usque ad extremam senectutem consumpta. Utraque hominem qui semel animum hisce applicavit, irrequieto quodam ardore nova inveniendi concitat, ut suius ac omnium suorum vel maximorum bonorum obliviscatur; Hinc jam alibi delectationem quam homo in indagatione ejusmodi rerum percipit, comparavimus cum sensu voluptatis hominis sitibundi, quem in haustu potus cuiusdam svasi concepit, quo sitim non explevit, cum fortius sitim provocare queat.

51. Hanc vero *diáστηψιν* accuratius expendas velim, eò quod eruditorum nonnulli disciplinis his cætera laudabilibus inebriati, nimio erga easdem amore, nimis eas extollunt, atque *inventionem* ejus generis novarum veritatum pro summo bono venditare audent.

52. Restat voluntas hominis. Per hanc homo bonum agnatum persequi, idemque apprehendere debet, adeoque bono *propior* quidem est quam intellectus. Sed nec ipsa voluntas, cum per naturam suam vana sit, & ad mala in-

E

cli-



clinet, nec externæ hominis *actiones* ab eâ depen-
dentes possunt esse summum bonum, quoniam
id studiose querunt, eoque ostendunt summum
bonum in se non contineri.

53. Sed quod vulgo summum bonum in acti-
onibus humanæ voluntatis quæsiverunt, inde
factum est, quod uti **bona corporis** considerá-
runt quasi actua se in utro sejungi queant; ita,
circa animæ bona hunc errorem foverunt, *qua-*
si intellectus sine voluntate, & voluntas sine intellectu
esse possit, unde lepida hæc fabella prognata est,
ut in doctrina de origine & continuatione acti-
onum humanarum Voluntatem tanquam Re-
gem, intellectum vero tanquam Consiliarium
proponerent, cui aliis quidam adversarius ad-
staret consiliarius, sensibilis nimirum concupis-
centia, quorum uterque alteri contradiceret,
ac bonum hunc Regem quasi manica arreptum
huc istuc distraherent, donec tandem alteru-
ter altero superior evaderet.

54. Cæterum literati qui in erudienda ju-
ventute ludo hoc utuntur, cùm considerare
debuissent *sensualem* illam, quam singunt, *con-*
cupiscentiam monstrosum quendam Hermaphroditum
esse, in cerebro suo è confusione in-
tellectus & voluntatis genitum; tum recordari
quod, ut ipsi fatentur, *ignori nulla sit cupidio*. Iam
cum omnis scientia soli intellectui humano, non
ut somniant, sensibus etiā intellectui oppositis
debeat, neceſſe effet ut ipſe ſibi intellectus tri-
buat, ſi à sensuali concupiscentiâ impeteretur,
quo-

quoniam hanc oppugnationem à cognitione ab intellectu impetrata necessum esset profici-
ci. Ut alias taceam absurditates ex inepta hac
opinione promanentes.

55. Novimus autem quod *Intellectus ac Voluntas* *perpetuo nexo conjungantur*, ac animam huma-
nam præter duas hasce facultates non habere
tertiam, sed quod *concupiscentia sensitiva* (quam
vocant) nil aliud sit, quam corruptus hominis
intellectus, & voluntas corrupta. Age ipsorum
præceptis vulgo traditis in sententia nostra
astruenda utamur. Voluntatem, aiunt, ne-
cessario ac semper bonum appetere, intellectum
vero judicare de bono, demonstratum
igitur est, voluntatem non posse esse absque
intellectu, neque intellectum absque volunta-
te; nec posse aliquid dici absurdius, quam vo-
luntatem intellectui adversari, in eamque ty-
rannidem exercere, cum potius, si omnino
dicta comparatione uti velimus, *intellectum re-*
gem esse oportet, sed voluntatem nil nisi famu-
lum, quæ nil agere sciat nisi apportare id quod
à rege ipsis monstratur.

56. Nec quicquam facit ad rem, quod o-
mnino apud nos deprehendimus, *nos sapien-*
mero id non velle, quod comprehendimus, bonumque
esse intelligimus, sed voluntate nostra atque acti-
nibus à voluntate dependentibus cognitioni
isti reluctari. Nam diligentius re explorata,
animadvertemus, non tam voluntatem intel-
lectui, quam voluntatem atque intellectum con-



junctum, veluntati ac intellectui præcedentibus repugnare. Homo affectibus suis obnoxius quieta aliquot momenta utique habet, in quibus verum bonum intelligere potest, in iisque momentis & voluntas prompta est istud appetere. Affectibus autem mox iterum prævalentibus, prior etiam ista voluntas non nisi ad momentum durat, sed & continuo intellectus una cum voluntate mutatur, ita ut hominem eo tempore quo ad nutum affectuum suorum actiones suas instituit, necessario id quod appetit summum bonum aestimare, ac priores cogitationes secundum dictamen sanæ rationis institutas mutare oporteat; cuius rei quisque in se ipso experimentum facere potest.

57. Iam qua in re tandem quæremus summum hominis bonum, cum id neque in intellectu, neque in voluntate reperiatur, nec ulla jam pars hominis reliqua sit. Forte in *nuda imaginatione*, sive in *meris cogitationibus* consistet?

58. Recte statuis, simul tamen valde erras. Summum bonum omnino in *cognitionibus* sive in *imaginatione*, nec in *nudis tamen cognitionibus*, neque in *vana imaginatione* continetur. Ac ut in Logicâ veritas non solis in sensibus, neque in nudis tantum ideis, sed in utrisque coniunctim quærenda est, ita nec summum bonum in solo intellectu aut voluntate sed in utroque coniunctim, i.e. in *Inclinatione hominis inde genitus cognitionibus* est quærendum, quorum utrumque coniunctim *Animus* appellari solet.

59

59. *Sine cogitationibus homo sensum nullum habet ullius vel boni vel mali*, id quod haud difficulter intelligitur, exemplo saltem proposito infantis recens nati, item hominis furiosi, vel valde ebrii, aut alto sopore oppressi, item graviter vulnerati. Hos oculis philosophicis proprius admoveri opus est, nec ex eorum ejulatu protinus ad eorum sensum argumentandum.

60. Deinde etiam oblectatio quam ex quibuscumque bonis capimus, maximam partem potius in cogitationibus, quam in ipsa eorumdem fruitione consistit, quando nimirum bonum nuper perceptum tanquam adhuc praesens nobis proponimus, cuius rei quisque apud se ipsum periculum facere, & hoc paradoxon millesimis exemplis confirmare potest.

61. Cum autem quisque in animo suo deprehendat, quod in cogitationibus suis ejusmodi rebus saepe delectetur, que vanæ, irritæ, imo perniciose fuerunt, item quod interdum etiam inquietas & molestas cogitationes sentiat, & quod irrequieto corde cogitationes non possint esse pacatae; inde facile poterit conjicere, in solis cogitationibus hominis summum eius bonum consistere non posse: adeoq; accuratius ipsi est perspicuum, quibus in rebus proprie consistat ea felicitas, quæ ratio bene cogitet, & voluntas studiose persequatur.

62. Eo autem facile perveniet, si è primo capite repetierit, rerum omnium felicitatem in motu tranquillo & pro conditione essentiae re-

E 3 rum



rum mediocriter mutabili consistere. Unde opido consequitur, omnes humanas cogitationes inquietas & nimis mutabiles esse malas, contra in quieto desiderio & mediocriter mutabilibus cogitationibus veram unicam summamque hominis beatitudinem consistere.

63. Atque hanc ipsam veteres Philosophi, qui summum bonum in tranquillitate animi sive oblectatione mentis quæsiverunt, tanquam scopum sibi præfixerunt. De cuius appellatione cum nemine contendemus, modo in re ipsa conveniamus.

64. Facile autem sublata esset contentio, si perspicuam ejus definitionem tradere possemus. Sed cum sit unicum quid, nec sui simile habeat, adeoque percipiatur magis ab his qui eam possident, quam ab aliis clare intelligatur, non exquires a nobis summam accusationem, sed contentus eris, si in ea definienda tibi magis ostendamus, quid non sit, quam quid sit, ac si eius originem potius atque effectum, quam essentiam respiciamus.

65. Itaque summa hominini felicitas nil aliud est nisi tranquilla quedam oblectatio, qua homo nullius rei neque dolorem sentit neque gaudium, in eoque statu cum aliis hominibus eandem animi quietem possidentibus se se conjungere studet.

66. Est Obiectatio, alias enim non esset bonum quid, nam supra diximus omne bonum præsens delectationē parere. Oportet igitur eam ab omni dolore



dolore longissime abesse. Ubi enim est dolor, ibi nulla potest esse voluptas nec delectatio.

67. Porro est *oblectatio tranquilla*, nisi enim tranquilla esset, non esset bonum quid, cum per superius dicta, omnia illa quæ nimis sunt sensibilia, & consequenter cum inquietudine quâdam copulata, mala sint. Quare hæc *oblectatio sine gaudio* consistit. Ubi enim gaudium est, ibi est *oblectatio irrequieta*; Tamen hæc, quam diximus, *oblectatio propius accedit ad gaudium, quam ad dolorem*, & ob hanc causam *gaudium plerumque statuitur esse bonum*, imo pro hac ipsa *oblectatione* habetur, vel hæc sub *gaudii* appellatione repræsentatur.

68. Deinde etiam *Dolor & Gaudium*, si ad tranquilitatem animi comparentur, ita differunt, quod non semper positum sit in nostra voluntate, ut omni dolore vacemus, sed animus sæpe vi compelli queat ut dolores sentiat, & lamentetur, cum ex adverso *gaudium & risus* ex hominis voluntate & appetitu pendeat, nisi hic violentam titillationem excipiamus, et si adhuc lis sit sub judice, an ista diutius continua dolori potius quam gaudio annumeranda sit?

69. Iam quod *in quieta bac delectatione* versetur *summa hominis felicitas*, inde colligi potest, quod homo reliquis in bonis omnibus, ut sunt opes, honor, libertas, amici, decorum, sanitas corporis, sapientia, virtus, frustra licet in plerisque, *hoc bonum persequitur, in eoque tranquilita-*



litatem suam quærerit; quodque is qui iam possidet hanc animi quietem, nec de ulla re magis quam de ea conservanda sollicitus est, reliquis bonis, quæ ad eam parum conferunt, carere potest.

70. Diximus Animi tranquillitatem appertere unionem cum aliis hominibus ista tranquillitate præditis. Non est autem id desiderium irrequietus aliquis appetitus, nec tale desiderium quod hominem reddat infelicem, nisi id expletur, sed est quietum studium, atque oblatio, & per consequens continuatio quietis animi semel acquisitæ, quippe quæ ordinariè ex hismodi unione oritur, vel est continuus effectus ejus quietis, quo ostendatur, tranquillitatem hanc non in *socordia* quadam vel *pigritia*, vel in defœtu omnis motus, quæ singula sunt mala, sed in motu alaci, proportionato tamen consistere.

71. Itaque si sumnum istud hominis bonum ab origine potius atque effectu, quam ab essentia denominare velis, amorem rationalem appellare posse; Amor namque rationalis nil aliud est quam *animorum summum bonum possidentium vel illud quærentium conjunctio*.

72. Visum est autem aliquanto plura de amore isto rationali dicere, quo ostendamus, naturam hominis quæ à bestiis distinguitur, quantum ea à lumine naturali capit, nulla in re alia, quam in honesto quodam hominum erga homines amore consistere, item, quicquid unquam icho-



scholæ de Amore sui tum licito tum illico gar-
riant, omnes homines, ne sceleratissimis quidem exce-
ptis, alias res revera magis amare quam seipso.

73. Bestiæ omnes ac singulæ præditæ sunt,
interno quodam instinctu ad conservationem sui, &
ad capiendam ex seipsis delectationem, quanta
quidem in bestias cadit. Et quantumvis bru-
ta animantia bestias ejusdem speciei & sexūs
raro lædere soleant, tamen in aliorum bruto-
rum prosperitate ne minimam quidem dele-
ctionem querunt, quia à Creatore ad socie-
tatem nullam posita sunt.

74. Sed *Homo hominum societate destitutus o-*
mnia foret miserrimus, non tam ratione ge-
nerationis & nativitatis, quam ex parte cum
bestiis habet communem, (etsi conjunctio
maris & fœmellæ inter bestias societas dici non
mereatur) quam ratione educationis, Per-
eundum esset homini, nisi ab aliis adjuvaretur,
cum bestiæ inde à nativitate ipsa vitam suam
sine aliorum etiam adjutorio producere que-
ant.

75. *Homo nè esset quidem homo rationalis absque*
humana societate. Quid prodeßent ipſi cogita-
tiones, si non essent alii homines? Non instin-
ctus quodam internus irrationalis æque ac in
bestiis ad ejus sustentationem sufficere posset?
Cogitationes certe sunt Sermo quidam in-
ternus. Quis autem usus esset sermonis hujus
interni, si nemo esset cum quo has cogitatio-
nes suas communicaret? Deinde sermo iste,

E s in-



internus præsupponit externum. At quomodo interne secum posset colloqui, nisi alii homines, in quorum is vivit societate, sermone suo externo internum ejus sermonem qua si accenderent? Rursus, quid opus tandem esset omnibus externis sermonibus, si non esset aliqua humana societas?

76. *Sine Societate humana homo adultus non haberet ullam delectationem, et si totum possideret mundum. Ipse sibi cogeretur ministrare, idque ministerium, si is esset delicatus & ambitiosus, ipsi futurum esset intolerabile.* Imo et si ei spiritus invisibilis (quod Poetis testibus Psychæ olim accidisse fertur) servitia exhiberent, vel si istanta esset prudentia, ut in promaret, nondum tamen ipsi satisfactum esset, cum desint ei, si ambitiosus esset, hi quibus imperet, & à quibus honor ei exhibeat, si avarus, quibus invideat fortunam eorum, quoque decipiat, & super quorum calamitate læteretur; si luxuriosus, collusores, si virtuosus, homines quibus beneficiat, & delectationem suam communicet.

77. Imo nec ipsis μισανθρόποις bene esset, item his qui in Bibliothecis sese abdunt, vel ab omni hominum societate se subducunt, si omni societate humana privarentur. Nam misanthropi omnem mentis suæ oblationem in eo querunt, si presentem orbem reprehendunt, & qui in libris se sepeliunt, si vel aliquam apud



apud viventes existimationem sibi parant, vel eosdem censura suā impetant, &c.

78. Taceo plerasque oblectationes *Visus, Auditus, Olfactus, Gustus & Tactus* partim in hominibus & apud homines quæri, partim in aliqua persuasione confistere, quod *alios homines* quos magnificimus, videamus certis in rebus deletionem suam invenire.

79. Quare quomodounque se tandem homo consideret, deprehendet creatum se esse à Deo, ut sit *animal sociale*, nimirum ut in pacifica societate cum aliis vivat. *Sine pace nulla est Societas*, quoniam dissidia atque emulaciones omnem societatem pessundant & tollunt. Rursum *absque Societate nulla potest esse Pax*, quia Pax in coniunctione animorum consistit. Sine pace homini nec Ratio nec Sermo quicquam prodest, quia ad bellum nil præter vim requiritur, cum strenuissimi bellatores gladium non in ore sed in pugno gerant.

80. Conditus ergo est homo *ad amorem aliorum hominum*, conditus est enim *ad pacem*. Nam & *Amor & Pax* in humanarum mentium conjunctione fundantur. Imo creatus est *ad amorem hominum quiete animi fruentium vel eandem quarentium*, cum quod ipse ad quietem animi tanquam ad summum bonum debeat contendere, omnis autem amor in similitudine quadam personæ dilectæ fundetur, tum quod alias in pace vivere nequeat, si inquietos homines amet, quomodo enim hi qui cum scipiosis inter-

terne pacem colere non possunt, cum aliis externe pacem colant?

81. Consequitur, summum hominis bonum in eo consistere, ut alteri, quem amat, bene sit, & ut eius calamitates ipsum magis afficiant, quam suæ, quoniam in eo essentia amoris omnis humani rationalis, quatenus amori bestiarum opponitur, consistit, nec sine hoc charactere duæ duorum corporum animæ fæse conjunxisse dici possunt.

82. Adeoque homo sapiens omnino alios magis amat, quam seipsum; & loco fundamenti actionum suarum nequaquam habet *amorem sui ordinatum*, (uti loqui amant scholastici) nisi eò hoc afferatur, quod homo mediante amore aliorum hominum, in quibus magis vivit, quam in seipso, semper tranquillitatem animi sui promovere ac conservare nitatur.

83. Nec opus est multa dicere de sapientibus & virtuosis. nam & imprudentissimi & sceleratissimi alias creatureas magis amant quam seipso, & in hoc solum à sapientibus & virtuosis discernuntur, quod sibi videantur magis amare se quam ullam rem mundanam, cum homo sapiens sciatur, quod alios magis amet, quam seipsum. Quare cum apud hujusmodi homines deploratus ille *Amor sui* impugnatur, non aliter id est intelligendum, quam ad eorum imaginationem potius atque propositum, quam ad rem ipsam sermonem accommodari.

84. Credo equidem hanc thesin valde tibi
vi-



videri paradoxam atque absurdum; Ais enim, non *voluptatis deditus, avarus ac ambitiosus* seipsum magis amat, quam res alias omnes? Certe voluptatis suæ, avaritiae, ambitionis causa omnes homines, & quæcumque habet, consumit.

85. Atque id ipsum est, quod dixi, quod hujusmodi homines sibi persuadeant, amare se magis seipso, quam reliqua omnia, eo quod voluptatem, avaritiam & ambitionem suam ament, cum hæc *vitia* manifeste in *amore aliarum rerum* consistant. *Voluptuosus* non seipsum amat, sed scorta sua, & compotatores suos; *Ambitiosus* amat homines à quibus honores exspectat, & *avarus* frigidam auri massam & quicquid pecunia comparatur. Sane his omnes alios homines, & quicquid possident, maxime seipso consecrant, dum *voluptatis mancipium*, ut scortum suum, compotatores & collusores deleat, valetudinis & fortunæ jacturam facit; *Ambitiosus* inanes honorum, ventos ab aliis captans, vitam, fortunam, famam periculo subjicit, *Avarus* præterea auro & opibus suis agglutinatus fame moritur, &c.

86. Vides ergo, quietem animi absque oblectatione, oblectationem vero absque amore erga alios homines, porro *amorem* hunc sine animorum unione, & hanc *unionem* sine mutuo studio personam dilectam etiam propriâ delectatione neglectâ delectandi, denique illa omnia sine remotione eorum quæ animum perturbant, esse non posse. Proinde cayebis ne exemplo ple-



rorumque Philotophorum de appellatione
summi boni hominis otiose disceptes.

87. Appellabis pro lubitu. Verba enim
rerum, non res verborum causa inventæ sunt.
Si non vis vocare tranquillitatem animi, voca
voluptatem seu *oblectationem animæ*, vel *amorem*
rationalem, vel *conjunctionem duarum animarum*.
sese mutuo amantium, vel *studium amatae personæ*
benefaciendi, imò pro ea moriendi; vel *oppressio-*
nem ac extirpationem affectuum mentem turbanum.
Ego quidem de nulla harum appellationum te-
cum contendam. Observabis saltem, quod, ni-
si omnia haëtenus enumerata simul posideas,
sed horum unum duntaxat desideres, veram
hominis beatitudinem nulla ratione possidere
queas, sed si aliud tibi persuadeas, frustra tibi
afflenteris.

88. Jam ad alteram etiam *significationem sum-*
miboni deveniendum est, quatenus id respe-
citu perfectionis suæ accipitur; & tum denotat
vel Bonum illud quod partes omnes tam necessari-
*as, quam superfluas, item omnia ornamenta tranq-*ui-**
*litatis animi ambitu suo complectitur; vel Tranq-*ui-**
litatem animi tantum cum bonis omnibus essentialibus
eo pertinentibus, sine quibus confistere ea non
poteat, sine intuitu bonorum humanorum,
quæ partes saltem minus necessarie, vel nuda sunt
ornamenta.

89. Nam qui unà cum tranquillitate animi
sui, simul est *virtuosus, sanus, morum elegan-*tas**,
prædictus, honoratus, opulentus, præterea libertate
sua



sua gaudet, & amicis abundat, is vere ac *perfecte beatum* fese prædicare potest. Nec infelix tamen ideo censendus est, si unum aut alterum ex bonis hisce humanis modo recensisit ipsi deficit, sed hæc adhibenda est differentia. Si *nudum* aliquod ei deficit *ornamentum summi boni*, id eo nondum erit miser aut infelix, (imo ne videtur sibi quidem non esse *perfecte fortunatus*, dummodo quietem animi, tanquam *summum bonum possideat*) sed hoc saltem laborat defectu, quod summum istud bonum non habeat in *perfecto gradu*.

90. Sin *pars aliqua necessaria tranquillitatis animi* ei deficiat, ea vel est hujusmodi pars, cuius absentiâ is *tranquillitate animi omnino privatur* ac destituitur; vel quâ deficiente in *tranquillitate animi sui parum* duntaxat *impeditur*. Priori modo fit *miser & infelix*, maximaque ipsi incumbit calamitas. Posteriori modo miser equidem ac infelix non est, sed & *perfecte beatus* haberi non potest.

91. Itaque jam consideremus genera singula bonorum supra memorata, ut videamus *quænam horum sint partes necessarie tranquillitatis animi*, nec ne, & *quænam eorum tranquillitatem animi* vel *secundum essentiam*, vel *secundum perfectionem* constituant.

92. Ac primum quidem in *Divitiis*, eorum definitio statim monstrat, cum *Divitiæ* nil aliud sint nisi *abundantia quedam facultatum*, merum esse *ornamentum*, nec partem aliquam *essen-*

estientialem tranquillitatis animi. Quibus rebus abundamus, his aliis amorem nostrum demonstrare possumus, & quo major est abundantia, eo magis & erga plures exercere possumus beneficentiam nostram, & haec tenus Diversitatem ornamentum sunt summæ felicitatis.

93. Si hæc cares abundantia, ideo non opus est, ut sis animo inquieto, dummodo habeas, *quantum tibi sufficit*. Nam si cares abundantia ac divitiis, minus etiam habes curarum, quemadmodum abundantiam facultatum colloces. Et quantacunque labores *paupertate*, alios tamen homines consilio tuo atque exemplo erroribus potes liberare, & à deviis abducere, id quod officii genus, beneficium egeno pecuniae & facultatum commendatione præstatum æquat, imo longe superat.

94. Jamque intelligis *paupertatem* nil mali esse, quia *defectus* saltem est *abundantie*. Ac si contendas *extremam paupertatem* esse malum, quid, quod in defectu eorum quorum ad vitam sustentandam indigemus, consistat; cautione tamen opus tibi erit, ne quid vendites pro extrema inopia, quod revera id non est.

95. Necesitatem vitæ tuæ ne metiaris secundum desiderium ac cupiditatem vel consuetudinem tuam. Potes enim e.g. centum thaleris vitam per annum traducere, potes etiam deceim mille thaleros uno anno consumere. Si non es contentus, semper es pauper; quemadmodum is semper est dives, qui paucis est



est contentus. Et quomodo absque aliorum hominum malitia, videlicet in bello, vel sine insigni fame epidemica eo devenire posses, ut tibi desit aliquid quod ad vitæ necessitatem requiratur, cum aqua, radices & locus in quo aëris fervorem declines, ac contra frigus temunias, ad vitam sustentandam sufficient, atque haec ne miserrimo quidem mendico defunt.

96. *Honor*, vel internum denotat honoris fundamentum, vitam nimirum secundum virtutem institutam, de qua deinceps agemus; vel existimationem quam habemus apud alios, quamque illi signis externis nobis significant; vel ob potentiam nostram vel virtutem quam nobis ineffe aliifalso sibi imaginarunt.

97. Posterior *Malum* potius est quam *bonum*: Nam si virtutem fucatam possidemus, certe non habemus veram illam animi tranquillitatem: Et qui nos ideo magnificiunt, hos consentaneum est æque esse cœcos ac miseros, magis adhuc quam nos ipsos, eaque existimatio non potest non obfirmare nos in falsa nostra opinione vivendique ratione.

98. Quod si cum verâ virtute simul insigni gaudemus *vi ac potentia*, quapropter & honos nobis à plebe exhibetur; tum rursus honor, iste *ornamentum* est summæ felicitatis, quando vir ejusmodi honoratus ea potestate utitur, ut in hos qui possident animi tranquillitatem, vel eò adspirant, majora beneficia conferat.

F

99. Sed



99. Sed nec iste honor *essentialis pars* est quietis animi, cum ea, quam diximus, potestas bonis hominis non necessariis & superfluis accentetur, ac si eadem caremus, nunquam nobis deficiat occasio infinita aliis beneficia exhibendi.

100. Facile itaque intelligitur, *defectum etiam honoris externi*, i. e. potentiae & autoritatis malum non esse, cum defectus abundantiae nunquam malum quid esse queat.

101. Sed quid jam statuemus de *Ignominia*? Fateor Ignominiam & defectum honoris longe à se mutuo differre. Nec injuria tamen pronunciabo Ignominiam honori, de quo jam agimus, oppositam omnino non esse malum, sed nihil, & *inanem aliquam persuasionem* inquietorum hominum, etsi hoc quam maxime paradoxum tibi videatur.

102. Evidem si ignominia *vitam flagitiosam* interne loco fundamenti habeat, aliter pronunciare cogimur, nec his nos annumerari volumus, qui dedecus & honorem iurta aestimant; sed paullo ante significavimus, nos jam non considerare honorem ex virtute genitum, sed *externa tantum ignominia* hujus est loci, quando aliquis sine honesta ratione in civili societate pro infami declaratur, ab officiis cum dignitate conjunctis excluditur, scripta ejus vel insignia à carnifice comburuntur vel confringuntur, vel nomen ejus patibulo affigitur, vel ipse in effigie, ut vogant, suspenditur.

103.

103. *J*Ctis familiare est: *F*ugitationem neminem reddere infamem, sed causam seu crimen. Ista vero causa non in fallaci aliorum opinione, sed in veritate fundata sit. Nisi te animus tuus condemnet, omnes quas dixi, contumelias animum tuum inquietare nequeunt, sed miserrimus fores, si verus honor tuus potestati ullius hominis esset subiectus, vel si necessum esset id animum tuum afficere, quod cum nomine tuo, insignibus, scriptis, aut imagine geritur. In multis sane amor erga te extinguitur. At hic quismodi sunt? Qui non possident veram animi tranquillitatem. Sed cum hisce vir sapiens non studet amore sese conjungere, sed eorum misericordiam tangitur, eaque sola retinetur, ne contumelias sibi illatas rideat. In reliquis autem, qui ad summam beatitudinem una cum ipso gnaviter contendunt, magis adhuc crescit ejus honor, inde quod quieta contumeliarum immeritarum tolerantia istiusmodi animos fortius ad se trahit, propiusque sibi conjungit.

104. Nunc Morum elegantiam ac civitatem, quae *Decorum* appellatur, videamus. Id *Decorum* in imitatione actionum eorum hominum, quorum praे reliquis humana in societate magna est existimatio, versatur. Estque pro differentia actionum quas imitamus in universum *triplex*: Ex namque actiones vel honestæ sunt, vel in honestæ vel indifferentes.

105. Quatenus in decoro actiones vel ho-



nestas vel in honestas imitari conamur, id ē de eo prædicandum est, quod de ipsa virtute ac vicio mox docebimus. Quatenus autem eæ, quas imitamus, actiones sunt *indifferentes*, ut si vestitu utimur ad præsentem consuetudinem composito; si temperata morum civilitate quibuscumque obviavimus, si à nonnullis rebus, quæ nemini quidem incommodant, vulgo tamen existimantur turpes, abstinemus, id est *ornamentum* hominis tranquillitatem animi possidentis, quoniam ista ad servandum ordinem in vita civili certe conducunt, atque eorum adjumento, dum omnibus aliquis fit omnia, partim occasio nobis præbetur, eo plures homines lucrificiendi, ut nobiscum sese conjungere cupiant; partim, quod nos intelligimus, his qui adhuc hærent in erroribus, nisi ipsis in rebus ejusmodi *indifferentibus* cedamus, tedium exhibere, ut à nobis & à vera virtute abhorreant.

106. Nec ideo tamen Decorum *necessaria pars* est tranquillitatis animi, modo non ex proposito, neque ex nudo aliquo amore singularitatis prætermittatur. Hinc *defectus decori rusticum*, qui id ignorat, vel egenum hominem, qui alios vestitus æqualitate assequi non potest, in animi sui tranquillitate minime turbare, neque prudentibus exosum ac ingratum reddere potest.

107. Sed si ex singularitate negligitur, omnino malum est, quoniam hoc fatis signifi-



catur, ejusmodi homines veram animi tranquillitatem non possidere, qui indifferentem aliquam complacentiam seu modestiam aliis exhibere recusant, tum quod hoc facto nullum aliis amorem exhibent, tum quod absurdius est, prætendere, ut multi inter se pares uni, quam ut unus multis conformetur.

108. Igitur cum hoc manifestè singularitate, vel amore etiam brutalitatis vacare non posse, si actiones *que vulgo habentur turpes*, committuntur, ut fecerunt Cynici; simul distinguere cogimur inter hominem decoro vacantem, & indecenter viventem, eosque qui vivunt indecore annumerare his qui *summum bonum non possident*.

109. Et ad postremam hanc classem hi quoq; referendi sunt, qui negligentiam Decoris *falsa ex opinione*, quasi Decorum esset malum quid, velex *precoci desiderio* alios ab omnibus imperfectionibus liberandi, aliis commendant, eosque proprio exemplo ad illud incitant. e.c. si quis ex dictis rationibus (vernaculo sermone) *quoscunque homines tuizare* velit, vel *nemini assurgere*, aut nudato capite honorem exhibere. Hic enim error ac appetitus ex affectu quodam amoris irrationalis originem trahit.

110. Facile item conjici potest, quemadmodum cum *Pudore* comparatum sit. Is vel de *futuris*, vel de *præteritis* actionibus dicitur. In *priori* significatione nihil aliud est, nisi propositum in rebus honestis & indifferentibus

F 3 fe-



secundum decorum vivendi, oppositamque habet *impudentiam*, tanquam vitium: Unde de hac significatione nil amplius monendum.

III. Sed cum pudor dicitur de *præteritis*, significat poenitentiam actionis *præteritæ* contra decorum commissæ, conjunctam cum proposito istud deinceps omittendi. Et *impudentia* defectus est ejus poenitentiae. Cæterum etsi hæc Impudentia sit indicium quod homo summum bonum seu tranquillitatem animi non possideat, non est tamen existimandum *pudorem* illi oppositum *partem essentialem*, vel ornatum summi boni esse, sed manifestum est præstare hominem sapientem ita vivere, ut poenitentia vel pudore non egeat.

112. *Libertas*, sive ea cum honore ac potestate sit conjuncta, de qua supra in disceptatione de honore diximus, sive de libero homine qui non est mancipium, nec captivus, prædicetur, similiter nudum est *ornamentum* tranquillitatis animi, quoniam homo libertate utens plus habet occasionis fere cum aliis uniendo, eisque benefaciendi, quam mancipium, vel captivus; Cum opposita ratione hi, nisi flagitiæ causa mancipati vel captivati fuerint, animo possint esse tam quieto, quam sunt liberi homines, & unum istud officium quod Epictetus Enchiridio suo conscripto humano generi exhibuit, longe nobilitate antecellat infinita aliorum officia quæ liberi in egenos conferunt.

113.

113. Porro *multitudinem Amicorum*, quoad hæc bonis fortunæ annumeratur, non possum habere pro *ornamento summi boni*. Nam amicitia eorum, qui animi possident tranquillitatem, non dependet à fortunâ, sed est bonum necessarium, & pars essentialis tranquillitatis animi: Sed cum paucissimi tranquillitatem animi possideant, non potest non *vir sapiens paucissimos habere amicos*, vel certe *plures inimicos*, quam amicos.

114. Itaque ornamentum equidem summi boni habendum esset, *st id posset contingere*, ut vir sapiens amicos multos haberet; Sed cum ista possibilitas in corrupto hoc statu, in quo vivimus, speranda non sit, *indictum hoc prius est defclus tranquillitatis animi*, si quis se gloriatur *multos habere amicos*, quod tum satis significet similem esse isti multitudini, cum omnis amicitia, ac conjunctio animorum in similitudine quadam fundetur.

115. Demonstratum est igitur bona omnia haec tenus enumerata extra hominem, quæ singula ad *bona fortunæ* pertinent, neque ex interiori fundamento humanæ voluntatis dependent, *partes etiam essentiales summiboni esse*, non posse, quandoquidem homo tranquillitatem animi sui non aliis hominibus & casibus contingentibus, sed Deo, & deinde sibi ipsi debet acceptam.

116. Inter *bona corporis* primū *Vita hominis* fundamentum quidem est tranquillitatis animi; neque ejus tamen privatio, h. c. *Mors*



hominem reddit miserum nec infelicem. Nam sive Mens per mortem non annihiletur (cujus rei certitudinem homo ex confirmatione rationem transcendentem capit) tum nec per Mortem tranquillitas animi abolebitur, sive anima una cum corpore in nihilum redigatur, tamen res quae in nihilum abiisset, dici non possit irrequieta, sed in hoc statu affirmare cogerer hominem neque beatum neque infelicem esse, quia desiisset esse homo.

117. *Sanitas hominis seu integritas membrorum*, item consueta ac ordinaria *circulatio sanguinis & spirituum* in iisdem, est *necessaria tranquillitatis animi pars*, & plusquam simplex ornamentum, cum quod homo sanitate fruens magis potens sit ad commodius fruendum, tranquillitate animi, tanquam quieta oblectatione (nam & ipsa sanitas in quieto motu versatur) & ad alliciendos hominum animos per officia amoris, ut cum eisdem unionem instituamus; tum quod *defectus sanitatis* quietem animi in homine turbare aliquando queat.

118. Quatenus equidem *Morbi inordinatum* duntaxat ac *durablem sanguinis motum*, non vero ingentem dolorem in nervis causantur; magna differentia intercedit inter hominem quiete animi præditum, & inter hominem quietem animi nondum affecutum. Nam *qui eam nondum est affecutus*, animo hic etiam erit valde inquieto, partim quod animus eius assuefactus sit, à dispositione corporis huc illuc rapi, adeoque



que necesse sit inordinatum sanguinis motum, inordinatum quoque & inquietum in cogitationibus motum causari, partim quod hos morbos consideret tanquam impedimenta divitiarum augendarum, atque explendae voluptatis & ambitionis, quippe quibus in rebus præpostere summum bonum suum querit,

119. Sed *vir sapiens* qui id consuetudine est affecatus, ut eius animus à momentaneis atque inordinatis sanguinis motibus (quibus alioqui in aliis affectus solent excitari) non commoveatur, tantum ea affectuactione est adeptus, ut ne deinceps quidem huiuscmodi motus inordinatos, quantumvis durabiles, ea qua gaudet, animi tranquillitas ipsi sensibiliter turbetur, nam quantumvis eum paroxismi febriles ita afficerent, ut sentiret se animi tranquillitatem non in priori perfectione possidere, ideoque id ageret, quod natura ad morbum abigendum requirit, ne tantillum tamen hoc ipso afficitur, quod durante morbo necessum sit impediri divitias, ac voluptates sensuum, & cessare strenua facinora,

120. Sed quoad morbi sunt *cum dolore conjuncti* & nervosacriter stringunt, cautio est adhibenda, cum ne statuamus, ne eiusmodi quidem morbos dolorificos animum hominis nequam attingere, tum ne contraria ratione eo prolabamur, ut asseramus hos morbos hominem sapientem reddere miserum.

121. Oporteret certe eum hominem forti

F 5 qua-



quadam laborare phantasia, qui imaginari sibi velit, *hominem sapientem* v.g. podagra, calculo, arthritide graviter correptum, & exquisitissimos inde dolores sentientem, *animo aequo esse tranquillo, quam si sedaret inter fructus rosarum amoenissimos.* & quamvis ore ejularet, tamen animo esse læto atque gaudente. Diximus animum cum cogitationibus hominis esse coniunctum, & in sapiente etiam viro, etsi eius animus in corpus imperium exerceat, tamen ob perpetuam animæ cum corpore unionem non omnem animæ sensibilitatem à passionibus corporis tolli. Quoniam ergo his ita fese habentibus vir sapiens durante lamentatione suâ non potest non cogitare de dolore; certe nec animus eius hoc tempore potest esse tam quietus, quam si expers sit doloris. Atque hoc respetu *sanitatem pro parte necessaria summi boni hominis venditavimus, eamque his rebus annumeramus, quarum privatio huiuscemodi morbo quietem animi parum, sed magis tamen quam febris turbat, ac efficit ut homo durante hoc statu perfecte beatus esse nequeat.*

122. Neque ideo tamen sanitas corporis *essentialis quædam pars est tranquillitatis animi, nec morbi enumerati eandem homini sapienti plane possunt eripere, eamque miserum reddere, cum homo sapiens, quam primum cessat dolor atque remittit (qui quo magis est exquisitus, eo citius ordinate cessare solet) è turbata quiete confessim fese in ordinem colligat, adeoque hu-*



huiusmodi etiam morborum ratione *vir sapiens*
a *stolido* homine longissime separatur.

123. Ac *sapiens* quidem, priusquam dolor accedit, debita gaudet animi quiete, & jam appropinquante cruciatu accingit sese ad patientiam quanta quidem ab homine expectari potest, ac abscedente dolore, nova acquisitione, tranquillitatis animi, haftenus parum turbatæ, de malis perpeſſis efficacissime sese consolatur. At *Insapiens* cum animi quiete careat, futuros dolores metu irrationali adhuc magis sibi fingit dolorificos, quam revera sunt, eaque persuasione durante dolore ingentem excitat impatienciam, quæ dolorem ipsi reddit longe sensibiliorem; Imo consueta ipsi animi inquietudo ei nec hoc concedit, ut oblectari sese queat, contemplatione eorum qui intermisserunt dolorum, sed vel solo auditu nudaque doloris facta mentione tam graviter percellitur, ut tam terrificam inde capiat ideam, ac si jamjam dolores iterum præsentes forent.

124. Restant *Bona Anima*, *Sapientia* nimirum & *Virtus*. Ambæ partes sunt necessariae atq; essentiales tranquillitatis animi, adeo ut homo eorum expers tranquillitatem animi possidere nequeat, sed & omnium sit *miserinus*. *Sapientia* purgat intellectum, ut vanitatem reliquorum bonorum, veramque quietis animi felicitatem intelligat, ac voluntatem suam disponat, ut ad ista quidem bona indifferentem sese gerat, ad hanc vero summo conatu enitatur. Et

Vir-



Virtus animi tranquillitatem persequitur, eique iam obtentæ continuo quodam motu honestarum actionum vitam quasi impertit, intellectum ad utilem cognitionem veri boni impellit, adeoque & Mater est & Filia cum sapientia, tum veræ felicitatis.

125. At si homo aberrat à cognitione veræ felicitatis, ac eorum loco bona apparentia arripit, & deinceps hâc opinione suâ deceptus loco actionum honestarum ex amore profectarum, omnes suas actiones servidius secundum proprias utilitates ad acquisitionem boni apparentis spectantes instituit, non potest non esse omnium miserrimus, eo quod animum suum gravissime perturbat, in eaque inquietudine, ceu fera in castib[us] indies magis magisque implicatur, honestis omnibus est detestationi, ipse vero mancipium fit pecuniae suæ, vel aliorum hominum abjectianimi, & æque ut ipse est, miserorum.

126. Cæterum hic circa Sapientiam repetes ex præcedentibus, quod sub nomine Sapientiæ non intelligam cognitionem disciplinarum inaniū ac pædanticarum, nec scientiarum elegantiarum & speciosarum, ne earum quidē disciplinarum, quæ cum non sint admodum inutiles generi humano, tamen ad investigationem creaturarum, non ipsius hominis conducunt. Nam harum aliquæ ad stultitiam pertinent veræ felicitati oppositam, aliquæ nuda sunt ornamen-



ta quietis animi. Sola *Cognitio Sui pars essentia-*
lis est Summi boni, & qui ab ea aberrat, vel eam
 hostiliter persequitur, is pœna ulteriori non e-
 get, quoniam tanquam hostis sui ipsius sibi hoc
 ipso justas pœnas infligit.

127. Similiter *Virtutem* non in externis tan-
 tum officiis quærēs, sed in primis in amore ar-
 denti erga alios homines virtuti deditos. Is a-
 mor ex corde proveniat, necesse est, & exter-
 nis quidem actionibus probari debet; Quod si
 actiones externæ interno hoc amore vacant,
 homo est *infelicissimus*, quia tanquam commu-
 nis impostor non potest non metuere ne ab o-
 mnibus ipse quoque decipiatur, imo quia assive-
 ta hac hypocrisi quam maxime fallit, actuque
 hypocrita est, adeoque magis adhuc infelix,
 quam alijs manifeste sceleratus.

128. Iam in hoc capite nil reliquum est,
 quod te moneamus, quam ut paucis tibi exi-
 mamus scrupulum quem causari tibi posses, si
 consideres, neque in priori quæstione, quod-
 nam sit summum hominis bonum, neque in
 altera de partibus eius essentialibus ullam men-
 tionem esse factam *Voluptatis corporis*, quum E-
 picurus & Aristippus summum bonum in Vo-
 luptate corporis quæsiverint, imo cum ipsi in
 cap. præced. significaverimus, omne verum
 bonum esse *jucundum*, ac tranquillitatem ani-
 mi definierimus esse *quietam oblationem*, &
 modo indicaverimus animum ob unionem sui
 cum corpore dolorum corporis fieri parti-
 pem



pem. Videtur ergo animus similiter ob e-
andem rationem sentire debere *voluptatem corporis.*

129. Sed hic non alia opus est responsione, nisi ut tibi proponamus *Voluntatem corporis* esse delectationem irrequietam, inordinatam maximeque sensibilem. Adeoque in sua natura verè mala est, & is qui voluptatibus immersus est, vere est infelix, quia hâc ratione non vivit ut homo, sed magis irrationaliter quam bestia, cum bestiæ plus non edant, nec bibant, aut voluptati corporis magis indulgeant, quam natura sua exposcit: Tantum abest, ut homo prudens vel cogitare unquam possit *Voluptatem corporis summum bonum esse posse*, vel partem eius *essentiale*, vel nudum duntaxat ejus ornamentum.

130. Ac innumeri quidem homines ita actio-
nes suas instituunt, quasi *Voluptas* esset sum-
mum bonum; sed propria ipsorum conscientia semper eos convincet, quod stulte agant, ni-
si eam jam perpetua bestialitatis consuetudine obtuderunt & in somnum quasi egerunt; Sed *ullum* unquam *Philosophum* hanc foviisse opinio-
nem, eamque *Philosophiam* reperiisse sectatores, *voluptatem summum bonum esse*, mihi qui-
dem nunquam aliquis persuaserit, quicquid tandem garriant *de Ariippso*. Postquam enim nostro tempore Gassendus *Epicuro* in objec-
tione *voluptatis amoliendā* patrocinatus est, sicut Mothæus Vayerius *Pyrrhum* non fuisse
stul-

stultum, suscepta defensione obtinuit, omnia
quæ de priscis Philosophis dicuntur sanæ ra-
tioni manifeste contraria pro fabulis ac
ab eorum inimicis confictis
habeo.

CAPVT III.

DE

**DEO, TANQVAM ORIGINE
OMNIS HUMANÆ FELICITA-
TIS, ET QUID NOTITIA DEI
NATURALIS AD SUMMUM
BONUM CONFE-
RAT.**

ARGUMENTUM CAPITIS.

Connexio n. 1. 2. In contemplatione DEI natura &
revelatio diuina non confundantur. n. 3. Quod
sit Deus nemo negare potest, sed hoc tantum quæ-
ritur, quid sit Deus? n. 4. nimirum causa prima
rerum omnium mutabilium. n. 5. quæ distinctam
habet ab his essentiæ. n. 6. & a seipso est n. 7.
Cur Ethnici statuerint materiam primam Deo esse
coævam. n. 8. Præcepta contra hanc opinionem.
n. 9. Materiam primmam necesse est factam ex ni-
hilo. n. 10. Et a Deo quidem, unde ipsi non est
coæva. n. 11. Non est impossibile aliquid fieri ex ni-
hilo. n. 12. (Cautio a Viro sapiente adhibenda in
doctrina de creatione. n. 13.) sed hoc manifeste ap-
paret ex rerum mutabilium existentia atque essen-
tia, quæ in momento ex nihilum rediguntur, &
rursus incipiunt esse aliquid. n. 14. 15. 16. Co-
gnitio naturalis de Providentia divina ex eadem

ob-



observatione n. 17. Res mutabiles essentiam suam ipsæ conservare nequeunt, n. 18. sed hæc conservatio necessario expeſtanda est a Creatore, n. 19. Vulgat⁹ error adverſ⁹ providentiam divinam, quod in hoc mundo bonis male, ſed malis bene sit, n. 20. 21. Difcimen inter Creationem & conſervationem rerum, n. 22. Etsi Deus ſingulis momentis rebus creatis novam conſert essentiam & exiſtentiam, tamen ſemper unum quid manent idemque quod erant antea, n. 23. Id quod exemplio linea comparatur, n. 24. Verus Philoſophus in cognitione DEI naturali ulterius non progreditur, ſed mavult de incomprehenſibilibus Dei perfectionibus omnino tacere, quam inepta proferre, n. 25. ſed præcepta tamen haſtenus tradita in doctrina morali ita ad uſum transferre ſtudet, ut cognoscat vitam aetionesque suas ſibi eſſe ad voluntatem DEI instituendas n. 26. quodque Deus ipſi amandus fit n. 27. h. c. DEO intime confidendum n. 28. iſque humiliiter reverendus fit, n. 29. Unde rursus conſequitur, nulla ſe ratione compelli, quamobrem alias quascunque creatureſ timeat, n. 30. vel iisdem conſidat, n. 31. Cognitio naturalis nescit alium quendam Dei cultum externum, n. 32. Hæc thesis accurate declaratur, n. 33. quod non loquatur de cultu interno, ſed extero, n. 34. Qui duplex eſt, generalis, & ab aliis diſtinctus n. 35. Nec queritur, an DEUS dignus fit coli, n. 36. Vel an homini incombat Deo cultum externum praefare, ſi id Deus ab ipſo requirat, n. 37. Sed an ex ſola humana ratione demonstrari queat, quod DEUS cultum aliquem extero ab homine poſcat? n. 38. Id negatur n. 39. Nullum argumentum n. 40. neque ab divina natura, n. 41. neque ab humana n. 42. de promi potest, minus adhuc a conformitate cum sanctitate divina, n. 43. Omnis Blasphemia & contemptus Dei a ratione abhorret n. 44. Porro intel-



tellectus cognoscit præstare ut DEO cultus exter-
ternus exhibeat, quam ut is omittatur, n. 43.
nec capere tamen potest necessitatem cultus ex-
terni, neque orationis externe n. 46. nec laudis
n. 47. nec gratiarum actionis n. 48. neque respe-
ctu Dei n. 49. nec respectu aliorum hominum n.
50. 51. Alia contra hanç thesin nostram objectio-
nes n. 52. Gentiles cultum externum hauserunt è
revelatione. n. 53. Felicitas reipublicæ non potest
verus esse finis cultus externi n. 54. 55. 56. Lon-
ge minus cultus specialis ac à reliquis distinctus è
lumine naturæ intelligi potest. n. 57. Omnes re-
ligiones in revelatione quadam fundantur. n. 58.
Et Deus nünquam cultum è ratione confictum
approbavit. n. 59. Duo errores universales in co-
gnitione Dei sunt Atheismus, & Superstitione ido-
lolatrica. n. 60. Quid sit Atheus. n. 61. 62. Athe-
ismus absurdissima est stultitia, n. 63. Quid sit Ido-
lolatra & Superstitionis. n. 64. Idololatria cum cor-
poribus cœlestibus exercita ad Theologiam spectat,
n. 65. Est enim idololatria vel rationalis vel irratio-
nalis n. 66. Barbari non fuerunt tam irrationales in
idololatria sua, quam hi, apud quos Philosophia ma-
xime floruit, n. 67. Collatio veri Philosophi, A-
thei, & Superstitiosi intuitu doctrinæ moralis. n.
68. 69. 70. 71. Philosophus solus est homo, Athe-
us Simiam, Superstitionis Porcum vel Asinum re-
fert. n. 72. Superstitionis est plusquam Atheus. n. 73.
Cur hodie tam frequenter adversus Atheismum, sed
rarisime adversus superstitionem vociferentur &
scribant. n. 74. Prope omnes veri Philosophi omni-
bus seculis tanquam Atheti vanisimis clamoribus
diffamati sunt, n. 75.

G

i. Di.



I.

Diximus in primo capite DEUM inter omnia bona summum locum merito occupare, ibique in vulgari divisione boni in bona Corporis, Animæ & Fortunæ hoc vituperauimus, quod Deus in ea fuerit prætermisus; nihilominus ipsi capite præcedenti, ubi de summa hominis felicitate egimus, Dei nō verbo quidem mentionem fecimus, cum neminem reperire liceat, qui vere possit negare, Deum esse originem ac fontem omnis boni.

2. Sed noli hoc turbari, nam præsens caput demonstrabit nos DEUM nequaquam prætermisso, nec eum privasse prærogativa sua quam inter omnia bona tenet, licet asseruerimus summum hominis bonum in tranquillitate animi humani consistere. *DEUS* est largitor omnis boni, adeoque omnibus donis suis excellentior. At in præcedenti capite inquisivimus *quodnam omnium donorum sit excellens etiam atque nobilissimum*. Quo jam cognito non imitemur porcos, qui cum glandibus vescantur, querentes glandiferas ne tantillū quidem intuentur; sed cogitationes nostras omnino sursum elevemus, *Deumque ceu largitorem omnis boni, adeoque & tranquillitatis animi, tanquam summæ felicitatis, paullo attentius consideremus, præsertim cum facile tunc intelligemus, quod absque hac necessaria notitia ne tranquillitatem quidem animi, quam diximus, legitime intelligere nec possidere valeamus.*

3. Hic



3. Hic vero parumper constamus, ac præprimis videamus, quid *lumen naturæ* sine adminiculo divinæ relationis nobis de DEO tradat, ne vel è mixtura rationis nostræ cum divina patefactione de maximis mysteriis more irrationali atque absurdio aliquid deblatamus, vel præjudicio nasutæ cuiusdam sapientiæ occupati sub nomine DEI nudas creaturas intelligamus, adeoque reapse DEUM negemus.

4. *An sit Deus?* nemo ratione præditus ullam vel minimam causam reperiet cur dubitet, & hanc quæstionem neget, cum alioqui eum consideratio omnium creaturarum terrestrium, imo vilissima herba de insania sua æque convictura esset, ac si has ipsas creaturas negaret. Sed ex rerum ipsis ob viarum, imo sui ipsius contemplatione, occasionem potius petit rationali dubitatione inquirendi, *quidnam sit* istud quod vocetur *DEUS*, & quo usque se naturalis sua notitia hic extendat.

5. *Videt omnes creaturas visibiles suam habere originem*, & interitui suo esse obnoxias, earum autem motum in universum invisibili cu-
idam causæ deberi. Et quia communi ratio-
ni humanæ repugnat, ut in cognitione causa-
rum ascenda in infinitum, & vero juxta Lo-
gicam nostram omne istud quod a communi
humanâ ratione abhorret, falsum existimandu-
m sit; ideo certissime sibi persvasum habet,
primam aliquam causam invisibilem esse oportere,

à qua omnia mutabilia atque mobilia suam trabant originem.

6. Atque hanc quidem *Deum* appellat, nam omnes homines, omnesque Philosophorum sectæ hujusmodi primam causam, essentiam & motum rerum operantem itidem *Deum* nominarunt, adeoque universi *Deum* tanquam *essentiam à rebus motis & factis diversam considerarunt.*

7. Ideoque Philosophi omnes in convenienti, conceptum formalem primæ hujus omnium rerum mobilium causæ, sive essentiæ divinæ in eo consistere, quod ea non ab alio quodam dependeat, sed quod sit *à se ipsa*, unde & hic conceptus vulgo vocabulo *Aseitatis* exprimi solet, & respectu rerum eius operatione ortarum omnes *causæ efficientes* in genere ita definitiuntur: *à quibus res sunt.*

8. Deinde etiam ratio humana, modo liberare se velit *à præjudiciis* Philosophiæ ethnicæ, dextreque ratiocinari, intelligit *Deum materialiam primam & essentiam visibilem* harum rerum mobilium *e nihilo*, i. e. ex rebus invisibilibus, quæ homines in visibilibus hærentes nihil appellare solent, *creasse*, et si opinione vulgaris id significetur, creationem a ratione plane non posse comprehendendi, sed e lumine quodam supernaturali intelligi. Et gentiles Philosophi universi falso hoc arrepto axiomate & pro indubie vero habito (*Ex nihilo nihil fieri*) prolapsi sint in gravissimum errorem, primam hanc ma-

te.



teriam esse a seipso DEOque coævam; e quo perniciosissimo errore & ex consequentiis inde deductis adhuc magis perniciosis omnes non modo sectæ gentiles, sed & omnes fere hæreses in ecclesiâ primitiva originem traxerunt. Nos huius nostræ theses probationem hoc modo brevissime contractam exhibemus.

9. *Causa prima efficiens invisibilis, & primus effectus visibilis*, ut dictum modo est, sunt *duæ res distinctæ*, illa est essentia invisibilis *aqua* sunt cæteræ res omnes invisibles & visibles, hic est essentia visibilis *ex qua* sunt cæteræ res omnes. Ac Deum quidem & materiam primam esse quedam a se invicem distincta, in hoc omnes Philosophi cum prisci tum moderni (non manifeste Athei) convenient. Item in hoc concordant, esse oportere materiam primam *visibilem*, cum rationi æque repugnet, ut in cognitione effectuum in infinitum progrediamur.

10. Quoad igitur intellectus humanus conceptum sibi format de hoc primo effectu seu materia prima, *quod sit prima*, sequi necessum est, eam *non esse* ortam *ex alia quadam re* visibili, ita enim non posset dici prima. Iam si non orta est *ex ulla alia re* visibili, oportet eam factam esse *ex nulla re* visibili, hoc est, *ex invisibilibus*. Nec inde tamen res invisibles ac spirituales fiunt materiales, cum idem non accidat cogitationibus humanis, quando *ex iis novæ enascuntur veritates*.



11. Unde autem vel *a quo* est hæc prima materia? Aut *à Deo & ab invisibili*, aut *à se ipsa*. Nec inter hæc duo medium quid comprehendere potest intellectus, si esset *à se ipsa*, Deus esset, & iterum committeretur dicta absurditas. Imo *non amplius esset materia*, cum communis Philosophorum consensu conceptus materiæ hoc quidem inferat, posse aliquid in ea effici, ipsam vero per se nil efficere. Ita autem nil reliquum est, nisi quod sit *a Deo & ab invisibilibus*, quodque Deus primam hanc materiam è nulla re visibili considerit, & per consequens illa Deo non possit esse coæva; Id quod contra præcepta gentilis philosophiæ erat demonstrandum.

12. Adeoque gentiles Philosophi universi hic valde se deceperunt, dum hanc thesin tanquam indubie veram acceperunt. *Impossible esse*, ut è nihilo fiat aliquid. Nam sicut in eo enormiter errarunt, quod sola visibilia aliquid esse statuerunt, ita distinguere debuissent, ac considerare quod hæ phrases insigniter differant: *Nihil esse aliquid, & e nihilo aliquid fieri*. Illud rationi plane contrarium, adeoque falsum est; æque ac falsum est, aliquid simul posse esse visibile & invisibile. *Hoc*, ut modo est demonstratum, rationi omnino consentaneum, & consequenter indubie verum est, et si supra rationem sit, modum comprehendere, quo Deus è nihilo aliquid fecerit.

13. Quare genuino Philosopho, qui ratio-ne sua recte uti vult, nec ejus fines transfilire, hic duo



duo extrema cavenda sunt; primum ne *Creatio-nem in genere* cum gentilibus rera *rationi contra-riam* existimet; deinde ne cum multis modernorū *Philosophorum ratione* sua longius quam par est, evagetur, nec argumentis subtiliter ex-cogitatis *modū creationis* eruere tentet, sed id potius agat, ut ea quæ *rationi* sibi relictæ per-pe-tuo forte incognita mansura sunt, tanquam incognita, se ponat, de iisque semper, tanquam mysterio admiratione pleno debita, cum reverentia loquatur, vel notitiam huius mysterii in sublimiori luce querat.

14. Deinde gentiles scipios occoecantes manifestissime ac quasi palpabiliter potuissent intelligere, modo plures operationes chymicas considerare voluissent, ubi saepe ex invisibili-bus fiunt visibilia, imo quotidie, & singulis fe-re momentis e nibilo aliquid fieri, & ex aliquo nibil, si parumper saltem suam ipsorum, alia-rumque sui similium rerum mutabilium exi-stentiam & essentiam considerare voluissent.

15. Supra in doctrina Logica Existētiā di-ximus esse triplicem, *præteritam*, *presentem* & *futuram*. *Præterita* erat aliquid, & est nihil, *præsens* nihil erat, & est aliquid, *futura* nihil est, erit autem aliquid. Et quia harum existentiārum alia aliam singulis momentis excipit, extra controversiam certe posicū est, *singulis* etiam *momentis e nibilo aliquid*, & *ex aliquo nibil fieri*.

16. Quantum ad *Effentiam*, unumqueim-que hominem propria ratio iterum convincet,



e. c. de frutice, quæ deinceps facta est arbor, & de *infante* qui in virum abiit, aliquot annis præterlapsis ne minimam quidem prioris essentiæ partem reliquam esse, adeoque rursus ex aliquo nihil, & è nihilo factum esse aliquid; etsi hoc non obstante, hæc arbor, & hic homo quoad numerum eadem semper arbor, idemque homo manserunt, non aliter ac *pallium*, contiguis ac continuis centonibus obductum, vel *navis* longo usu detrita, novisque semper trabibus reparata, item *populus ducentorum annorum*, in quo multi quotidie mortui & nati, idem pallium, eadem *navis*, idemque populus est, qui erant ab initio, etsi ne minima quidem prioris panni particula, nulla ligni pars de priori navi, denique nullus homo ex iis, qui populo primum unito vixerunt, reliquus sit.

17. Duæ vero hæ contemplationes verum Philosophum eò deducunt, ut Creatorem rerum mutabilium simul ut earum Conservatorem agnoscerè, & de Providentia divina secundum rationem suam aliquid balbutire discat. Cum enim harum rerum duratio, item mutatio diu ratione in earum essentiâ fieri solitæ in nulla re aliâ consistant, nisi quod nihil & aliquid perpetuâ vicissitudine sese excipient, ideo merito inquirit, unde hæ oriatur vicissitudo, quæque ejusdem causa sit?

18. Etsi vero homo imprudens per præcipitantium dicat, res ipsas suam essentiam conser-



ſervare, maxime vero hominem recto uſu ſanx rationis eſſentiam ſuam atque exiſtentiam ſuſtentare; tamen mox alia maturior conſideratio iſum de impotentia ſua conuiuet, magis que adhuc de imposſibilitate aliarum creaturarum deterioris conditionis. *Quomodo enim poſſibile eſt, ut nihil aliiquid poſſit producere?* Præſens exiſtentia in momento abit in nihilum, dum præterito accenſetur, & quia cum eo quod futurum, adeoque nihil erat, jamque in eius locum transiit, & factum eſt aliiquid, nullam plane conneſſionem habebat, quomodo ergo diciti poſteſt, hoc Aliquid, futurum nihilum, dum iſum in nihilum abiit, feciſſe aliiquid. Cer- te quam contrarium eſt rationi, *nihil eſſe aliiquid,* & que ipſi eſt adverſum, *nihil aliiquid operari.*

19. Nil ergo reliquum est, quām ut ad
creatorem nos convertamus, eique soli
perpetuam rerum omnium conservationem
tribuamus. Nam quemadmodum ipse res
creatias in principio ē nihilō incomprehensibili
modo condidit, ita solus potens est, ac ēque
ipſi facile est, ut hoc Aliquid rursus in nihilum
abire sinat, & mox aliud quiddam Aliquid in
eius locum collocet; Quanquam ratio nostra
id ēque capere non potest, quam capere non
potuit, quomodo cum Creatione erat compa
ratum. Sufficit, quod intelligat, divinam
hanc Conservationem ac perpetuam pro
videntiam (cujus adeo modum non amplius
frustra scrupulose scruratur sed humili quā

G s dam

dam veneratione potius miratur) sibi non modo non contrariam esse, sed & hac clara demonstratione se compelli, ut ejus necessitatem confiteatur, nec ullum ne verosimile quidem argumentum se posse proferre, quo divinam hanc providentiam neget.

20. Nam et si multi inde de divinâ providentiâ dubitandi ansam ceperunt, *quod in hoc mundo bonis male, malis vero bene sit*, tamen in eo manifestissime bifariam judicium præcipitârunt, (1) *Quod honestos & vitiosos non distinxerunt*, sed hypocritis, callidisque hominibus, quitegere virtia didicerunt, vel his qui à sceleribus abstinent, quæ a carnifice puniuntur, cætera vero palam voluptatibus dediti, avari ac ambitiosi sunt, bonorum nomen concesserunt, ex adverso homines vere honestos ac virtuosos, quos necesse est multos habere inimicos, secundum fallax inimicorum testimonium pro vitiosis habuerunt.

21. (2) Pari ratione in conceptu *felicitatis & infelicitatis* aberrarunt, non tranquillitatem animi, eiusque privationem, id quod par erat, respicientes, sed divitias, & paupertatem, honorem vel ignominiam externam, item mortem violentam vel præmaturam, vitamque longevam hic intendentes, ex quo ubique nil nisi imprudens argumentum prodire potuit; quandoquidem, ut doctrina haec moralis universa ostendet, impossibile est homines *virtutis deditos* ne in hoc quidem mundo, *infelices, sceleratos* vero felices esse.

22. Ita-

22. Itaque inter *Creationem & Conservacionem rerum* nulla alia est differentia, quam quod illa sit opus Dei, quo primum è nihilo aliquid condidit; hæc sit opus divinum, quo hoc Aliquid finit abire in nihilum, & aliud Aliquid in ejus locum reponit. Quare nil absurdum committeres, si hanc Conservationē divinæ Providentiae alteram *Creationem* nuncupares, et si hanc phrasin tibi non obtrudemus, nec si præter spem aliquid inde inconveniens metuendum foret, eam obstinate defendemus. Nam vir sapiens nunquam de verbis aut phrasibus λογομαχίας exercet.

23. Ac si ratio tua circa hanc cognitionem hunc adhuc scrupulum tibi injiciat, quod secundum eam sequeretur, *Deum hac ratione creaturis suis semper novam dare existentiam atque essentiam.* Atqui ita rationi humanæ videri adversum, quod hoc nihil & aliquid, hoc vetus & infinitis modis additum novum semper una res esse ac manere debeat; levi hac & à puero facile refutandâ objectione te noli turbare.

24. Non jam ad exempla allata de pallio, navi &c. te retroducemus, sed hujus objectio-
nis vanitatem alia ratione tibi ostendemus.
Quæso te arripe pennam & atramentum, &
describe *lineam* in charta. *Continua* eam. Quid
agis? Non amplius admovebis calatum. Fac
ut linea seipsum continuet, vel ita eam conti-
nua, ne novam partem adjicias. Ais non aliter
rem posse expediri. Bene ergo, continua li-
neam



neam pro lubitu. Id aliquot vicibus repepe. Jam pronuncia, veteri linea hactenus meras novas partes addidisti, hoc non obstante unane ac eadem mansit linea, an plures inde linea factae sunt? Caput moves. At ego meum quoque caput ad objectionem tuam æquè moveo.

25. Jam hic humana ratio pedem figit in cognitione Dei, cavitque ne longius progrediatur, quam est in ejus potestate. Intelligit Essentiam hanc divinam infinitas possidere perfectiones, quas ipsa non potest comprehendere, itaque in eo non amplius scrupulose speculatur, sed quod reliquum est lumini sublimiori divinæ revelationis relinquit. Et sic ipsa maluit de Deo plane tacere, quam de eo imperfecte, & modo Deo fortasse displicente loqui. Solum cavit, ne in dogmata erronea prolabatur, thesibus hactenus demonstratis è diametro contraria: quorum præcipua sunt: Essentiam divinam esse finitam, visibilem & comprehensibilem.

26. Conatur tamen mediocrem hanc cognitionem, licet ea admodum sit imperfecta, ad promovendam animi sui tranquillitatem, tanquam summum bonum utiliter adhibere. Ac prius quidem clare intelligit, cum tota hominis essentia à Deo originem trahat, hominem etiam necessario bona omnia soli Deo debere accepta, debitoque compelli, ut actiones suas secundum voluntatem divinam instituat. Et quoniam deprehendit Deum voluntatem suam ex

par-



parte rationi omnibus hominibus communi implantasse; debiti sui esse agnoscit, eandem secundum hanc normam decenter *indagare*, ac deinceps *eo elaborare*, ut voluntas sua divine huic voluntati non repugnet.

27. Deinde dum perpendit Deum singulis momentis hominem unà cum omnibus ejus viribus conservare; sentit etiam ideo se hanc essentiam incomprehensibilem *amare* oportere. Existimatque hunc *amorem* nulla alia in re consistere, nisi in *perpetua allaboratione atque desiderio sese cum Deo uniendi*. Etsi autem videat, per propriam voluntatem sese plane esse impotentem, ut ad hanc unionem perveniat, intelligit tamen quod homo primæ huic omnis boni origini *intimam confidentiam & humilimam reverentiam* exhibere debeat, tanquam duas partes essentiales amoris erga Deum.

28. *Confidentia* in eo fundatur, quod Homo intellegit, quod Deus nullâ urgente necessitate, nulloque hominis præcedente merito, libere hominem è nihilo condiderit, eique bona omnia donaverit, in iisque eum quotidie conserveret; ideoque argumentatur, Deum, etiam imposterum ea conservare non tantum posse, verum etiam velle. Saltem ne minimam quidem urgentem causam invenit, quamobrem hic amore divino ullâ ratione diffidat.

29. Porro homo bene intelligit, sese indignum se reddere beneficiorum horum di-

vino.

vinorum, si Divinæ voluntati cordi suo inscriptæ repugnet. Et quod non habeat, quod vel minimum conqueratur, si ideo ipsi Deus omnia exhibita beneficia simul ac semel eriperet, eorumque loco malum pro bono ipsi infligeret; Præsertim cum è superiori cognitione certissime sit persuasus, Deum hæc omnia agendi potentia gaudere. Et hac ratione Deum timet.

30. Ex hac autem debita erga Deum Confidentialia eque Timore Dei dificit, quod nulla necessitate compellatur, ut *Creaturam aliam quamcunque timeat, eique confidat*. Nam quod Timorem concernit, homo superiori contemplatione confirmatur, quod et si omnes homines omnesque reliquæ creaturæ ipsi ægre facere, damnumque infligere cogitarent, tamen id absque Dei voluntate præstare non possint, quoniam, ut supra dictum, Deus singulis momentis præter ipsius essentiam, inimicorum etiam eius essentiam ac existentiam conservat.

31. Easdem rationes etiam in *Confidentia* in reliquias creaturas deprehendit, dum sentit omnes homines impotentes esse, ut ipsi contra voluntatem divinam ad unum saltem momentum vitam suam & reliqua bona à Deo dependentia prorogent, quodque Deus eos eodem momento, quo in gratiam ejus aliquid conantur, pessundare ac perdere queat.

32 De-



32. Denique secundum naturalem notitiam *nullum alium* scit *cultum divinum*, præter hoc è filiali confidentiâ atque reverentia dependens desiderium, vitam suam secundum voluntatem divinam instituendi, neque ex seipso comprehendit, *an*, & quibusnam ceremoniis externis alias Deo cultum exhibere debeat, et si vulgo eruditî contrarium asserere soleant, atque statuere, hominem natura impelli, ut Deo cultum extēnum externis ceremoniis, externaque oratione, laudatione & gratiarum actione exhibeat.

33. Quod ut eo clarius intelligatur, ante omnia recte percipias, de quo hic sit quæstio, cùm ne imprudentes hac thesi offendantur, tum ne præjudiciis veterum doctrinarum immerſi ansam capiant, eandem malitiose calumniandi.

34. Primum non est quæstio de *cultu interno*, cum videlicet homo in corde Deo confidit, eumque diligit ac timet, & actiones suas secundum cognitionem voluntatis divinæ instituit. Ad hæc enim omnino etiam cognitione naturæ suæ impellitur, quod jam supra demonstravimus. Sed sermo est de *cultu externo*, consistente in externis ceremoniis, quique vel omnibus populis, vel plerisque saltē *communis*, vel intuitu discriminis populorum ipse etiam distinctus est.

35. *Ille* in genere consistit in externa quādam oratione, laudatione & gratiarum actione. Neque enim gens aliqua sub Sole est, quæ non

Deo



Deo suo has tres partes cultus externi exhibeat. *Hic* versatur in modis diversissimis Deum invocandi, laudandi, eique gratias agendi. Ut cum apud Christianos usitatum est, vel ex parte frequentatum esse debet, ut Deus in nomine Domini nostri Jesu Christi, sine ira & disceptatione, publice, complicatis manibus, etiam pro inimicis, accedente Musicâ, & pro re nata instituto jejunio & auscultatione Verbi divini, adoretur. Quo etiam sanctificatio Sabbathi, item usus Sacramentorum reducendus.

36. Deinde non queritur, an non Deus præ rebus omnibus sit *dignissimus*, cui externis declarationibus honos exhibeat, quo potissimum argumenta eorum, qui cultum divinum è lumine naturæ derivare conantur, collimant. Ecquis enim esset tam impius, ut hoc negaret, cum etiam inter gentiles hi qui non crediderunt divinam providentiam, contendent, Deum tantum ob excellentiam suam honore afficiendum.

37. Imo & istud ratio humana intelligit, *Hominem debito compelli*, ut Deum honore afficiat, si Deus cultum aliquem externum à se requirat, quoniam è conceptu causæ primæ, & quod Deus hominem una cum creaturis omnibus mutabilibus è nihilo condidit, jus Dei cognoscit, imperandi hominibus, & cujus vi homini debitum incumbit, ut ipso obediatur.

38. Sed

38. Sed hoc tantum quæritur: *An è sola ratione absque divina revelatione demonstrari queat, Deum externum aliquem cultum ab homine requirere?* Et hoc est quod negamus, & perspicuis argumentis comprobabimus.

39. Sed dum hoc negamus, sententia nostra iterum non sic est intelligenda, quasi statueremus, Naturam nobis dictare, *Deum externis ceremoniis non esse colendum*, ista namque ratione manifeste reclamaremus ei, quod jam n. 36. & 37. præsupposuimus; sed indicare solum volumen, *Naturam nobis nihil plane de hoc cultu significare, quod sieri is debeat*; ita ut secundum naturam cultus is externus referendus sit inter ea, quæ tanquam *αδιάΦορα* & fieri & omitti possunt; vel Naturam nobis firmum aliquod fundamentum non suppeditare, è quo certò possimus concludere, Deum eiusmodi cultum externum ab homine postulare.

40. Sive enim in *natura Dei*, quantum de eâ intelligimus, sive in *natura humana* circumspiciamus, utrobique nil reperiemus, è quo possimus concludere, Deum hujusmodi cultum externum ab homine requirere.

41. Ac *essentia* quidem *Dei* neque externi neque interni cultus ab homine præstiti indiget, & notum est è Luciano, quod jam olim Demonax usus sit hac è ratione petitâ excusatione, cum tanquam impius accusatus esset, quod Minervæ nunquam sacrificasset. Nam

H

hoc



hoc ideo, ait, haec tenus omisi, quod existimarem Minervam non egere sacrificiis meis.

42. Si *Hominem* spectes, ejusque *naturam*, ratio per se non potest perspicere, *tranquillitatem animi* vel *pacem* communem & honestum *amorem* ne minima quidem ex parte minui vel turbari, et si hæ exterræ declarations omittantur, modo cultus divinus internus in hominem maneat.

43. Ac si omnino natura hominis *ad statum innocentiae* dirigatur, vel è *conformatitate cum sanctitate divina* mensuretur; tamen iterum perspicere nequeo, quomodo & unde certi aliquid de Adami ceremoniis ecclesiasticis in statu innocentiae obtineri queat, & quomodo *sanctitas divina* cultum aliquem externum in conceptu suo comprehendat, unde homo exemplar capere possit.

44. Istâ jam ratione intellectus humanus bene intelligit, *Blasphemiam* & *Contemptum Dei*, sive hæc vitia nudis in cogitationibus constant, sive in verba & facta extera erumpant, sanæ rationi repugnare, eò quod cultum DEI internum tollant.

45. Porro humana ratio comprehendit, cultum Dei externum *rebus concessis prestantisimis* accenseri oportere, atque communis rationi non tantum non repugnare, sed certa etiam ratione *prestare*, si Deo honos aliquis externus exhibeat, quam si sis intermittatur.

46. Sed hæc omnia nondum sufficiunt ad confirmandam *necessitatem* cultus divini exter-

ni.

ni. Neque enim hic aliquid rationi absconum reperire humana ratio potest, cum e. g. ita ratiocinantur, *Orationem externam*, secundum dictamen naturæ pertinere ad res adiaphoras, quoniam Deus, tanquam scrutator cordium, etiam gemitus hominum intelligat, & tanquam Creator & Conservator eorum, etiam absque hominum precibus optime sciat, quarum rerum indigeant.

47. Nec *externa Dei laude* ejus majestati ac sublimitati aliquid accrescit, sana ratio potius ostendit, et si homo qui interne D E U M non honorat nec timet, os suum laude Dei implere velit, tamen graviter eum hoc ipso peccaturum, quod vel Deum vel homines his signis externis decipere conetur. Quod si vero homo Deum in corde suo magnificat, ratio laudem externam facile superfluam existimabit.

48. Idem de *externo gratiarum actione* affirmare cogimur. Taceo, id quod suo tempore considerabimus, gratiarum actionem externam inter homines ideo esse necessariam, ut alter alteri demonstret, beneficium præstitum ipsi fuisse acceptum, seque semper esse paratum alteri vicissim officia grata exhibere. Sed apud Deum hæc omnia cogitationibus meis possunt expediti.

49. Breviter, *Orare, Laudare ac gratias agere* ideo inter homines tanquam signa externa sunt necessaria, quia homo hominis cor non



non potest transpicere. Id vero Deus præstare potest.

50. Ac si objicias, externam orationem, laudem, ac gratiarum actionem, eâ ipsa de causa esse necessarias, ut homo aliis hominibus internum suum Dei cultum ostendat, quippe qui sine hac ostensione scire nequeant, pro honesto ne an impio ipsum habere debeant, tamen & hic ratio humana sibi relata reperiret quod objiceret.

51. Nam ut taceam signa cultus externi esse fallacia, & sèpius usurpari ab his, qui si cor eorum inspicias, Athei sunt vel Idololatræ; certum equidem est, communem hominum societatem pacatam ac realem animi tranquillitatem poscere, ut homo homini pietatem suam ostendat; Sed hanc alter alteri optime, certe melius ostendere poterit, si vitam suam secundum voluntatem Dei in natura sibi revelatam respectu amoris erga alios homines instituat, quem si absque hac conformitate actionum externarum, ceremonias omnes externas accuratissime observet.

52. Sed pergis: Quomodo consistet *salus reipublice*, dum nulla datur civilia societas, in qua non observetur aliquis cultus Dei externus, adeoque & scriptores ethnici in scriptis suis hunc tanquam debitum hominis adducere solent.

53. Cavebis vero, ne ex his quæ gentiles cognoverunt, ut vulgo quidem fieri solet, argu-



gumenteris, ipsos hæc omnia è lumine natu-
ræ cognovisse. Etiam gentiles duplice lumine
naturali & patefactionis usi sunt. Imo pluri-
ma de vera revelatione divina, partim è tra-
ditione parentum, partim è conversatione
cum orthodoxis cognoverunt. Atque ita
nequaquam sequitur: Non est ulla civilis so-
cietas, in quâ non cultus aliquis externus di-
vinus frequentetur; oportet ergo ipsos hunc
habere è lumine nature.

54. Nam quod *communem reipublicæ felicitatem* concernit, accurate cavebis, ne scopum accidentalem cultūs externi, pro principali ac primario habeas. Hoc bene ratio intelligit, quod utilitas reipublicæ per cultum externum promoveatur, quando nimirum civis civi per signa hæc externa internam suam pie-tatem tanquam fundamentum omnis debiti civilis repræsentat, atque ista ratione mutua, inter cives confidentia per id magis magisque augetur; Sed uti hæc signa, ut modo diximus, frequentissime decipiunt, ita eorum intermissio per se non turbat salutem reipu-blicæ.

55. Cæterum & hoc bene hic est atten-
dendum, quod si *commodum temporale reipubli-*
cæ verus esset scopus cultus externi, necesse
etiam foret dici, cultum divinum pro diffe-
rentia rerum publicarum distinctum esse, ac
mutabile *commodum* hujus vel illius *reipubli-*
cæ normam etiam cultus divini ibi mutabilis

118 CAP. III. DE DEO TANQVAM FONTE

esse oportere, id quod valde esset absurdum & proptermodum impium.

56. Et quid opus hic est prolixâ disputatio-
ne? Omnes certe fatentur, *eternam* hominis
felicitatem verum esse scopum cultus divini.
Jam vero ratio sibi relata nil certi scit de statu
post hanc vitam, quomodo ergo certa esset de
cultu diuino, tanquam medio ad eundem du-
cente.

57. Hactenus de universalis saltem cultu
Dei externo diximus. *Specialem* cultum quod
attinet, tot ibi sece offerunt argumenta ad
obtinendam sententiam nostram, quot apud
eundem reperiuntur circumstantiae, quae
omnia hic prolixe deducere necesse non est,
cum unusquisque Dei cultus specialis, univer-
salem præsupponat, & consequenter mani-
festum sit, si ille non potest è ratione cognosci,
specialem hunc multo adhuc minus inde
obtineri posse.

58. Quod si ex abundanti *Ecclesiasticas alias-*
que historias in partes vocare velimus, depre-
henderemus nullam omnino in toto terrarum
orbe religionem dari posse, quae non in *reve-
latione* aliquâ, quoad cultum divinum funde-
tur. Nos ad *verbum divinum* nos referimus:
Omnes haeretici idem faciunt, istud depravando:
Judæi utuntur *Veteri Testamento*, & patefactio-
nibus *Rabbinis* suis, ut aiunt, factis; Turci
nituntur *revelationibus Mahometi* sui; Ethni-
ci suos habent *Bramines*, &c. qui ipsis loco di-
vi-



vinarum revelationum mendacia Satanæ persuaserunt.

59. Neque hic prætermittendum est, Deo, testante historia Ecclesiastica, ἐθελοθρησκείας ex humana ratione efformatas nunquam placuisse, etsi ipsi inde à mundi exordio nullus honor externus è sincero corde profectus displicuit.

60. Cognitio hæc naturalis & vera de Deo, ejusque creatione, ac conservatione omnium rerum duos errores sibi habet oppositos, *Atheismum & Idololatriam.*

61. *Atheum* intuitu cognitionis naturalis voco, qui ut Deum timeat, eique confidat, aut ut secundum ejus voluntatem vitam suam instituat, debito se obligari negat, quoniam vel existimat, non posse certi aliquid de Deo ejusque Providentiâ ope rationis sciri, adeoque perpetuas hominem habere causas de Deo dubitandi; vel quia talem sibi Deum format, qui vel fato aliquo sit obnoxius, vel cum creaturis una eademque sit essentia, easque tanquam partes essentiæ suæ divinæ in se comprehendat.

62. Quod homines postremæ hujus classis Atheis annumero, inde factum est, quia suprà diximus, omnes Philosophos per Deum essentiam à creaturis distinctam, quæ earum prima causa sit, intellexisse, & consequenter hunc qui *creaturas & Deum* pro uno eodem-

H 4. que



que habet; vel Deum superiori fato subjicit,
reapſe Deum negare oportere.

63. Cum vero *Atheismus* ne minimum quidem fundamentum verosimile in medium afferre possit, quo errorem hunc deterri-
mum defendere queat; non aliter is nobis est considerandus, quam sicut *maxima miseri-
rimaque stultitia*, præfertim si consideramus, plerunque homines alioqui prudentissimos in eum prolabi, quia rationem suam nimis intendunt, & in subtiliori rerum externarum indagatione, notitiae sui, & consequen-
ter etiam deinceps creatoris sui obliviscuntur.

64. *Idololatram* respectu luminis naturalis hunc præcipue appello, qui aliquid equidem pro Deo habet, idque timet, eique confidit, externoque cultu id veneratur; sed qui manifestissime contra lumen sanæ rationis id pro DEO venditat, quod DEUS esse nulla ratione potest e. g. qui homines, animalia, aliasq; creature terrestres pro Deo habet.

65. Quod *corpora cœlestia*, ut Solem Lunam & stellas attinet, quæ etiam creatutæ visibles sunt, cum his intuitu luminis naturalis valde debilis aliter comparatum est. Nam etsi ratio humana convincatur, ea non posse esse Deum ipsum, quia visibilia & finita sunt, perspicere tamen non possum, quoniam fundamento penetrante gentilis v. g. solem adorans convinci queat, solem non esse etiam causam creaturarum terrestrium

ac



ac mutabilium, siquidem ratio nostra influ-
xum Solis in hæc corpora quotidie agnoscit,
nec mutationem in eo absque Scriptura sacra
certo probare potest; etsi ideo coram Deo non
sit innocens.

66. Itaque secundum dictum huius considerationis *Idololatria* in minus *rationalem* &
maxime *irrationalem* dividi poterit. *Illam* voco
quæ corpora cœlestia, vel aliam quandam essen-
tiam invisibilem ac creatam adorat; *Hanc* quæ
creatures terrestres & visibles cultu divino
veneratur.

67. Hæc tamen observatio non est præter-
mittenda, *gentes omnium barbarissimas* semper
non tam imprudentes in idololatria sua fuisse, quam
has apud quas Philosophia omnium maxime
floruit, id quod è Græcorum ac Romanorum
exemplis patet. Causa rei est, quod barbaræ
gentes in universum magis secundum ratio-
nen vixerunt, quam gentes quæ moratores
dictæ sunt.

68. Iam nil reliquum est, præterquam ut
conferamus, quem usum *vera cognitio*
de Deo ejusque providentia hactenus demon-
strata in Philosophia morali habeat, quidque,
Atheismus & Idololatria in eadem damni afferat.

69. *Verus Philosophus* animi sui tranquilli-
tatem quærit in perpetua confidentia erga De-
um, & in timore Dei, ideoque operam dat, ut
ad ejus conservationem his mediis utatur, quæ

H 5

ipsum



ipsum sana omnium hominum ratio edocet, Deum ad eundem finem ordinarie constituisse. Novit quod nulli hominum confidere, nemini nem timere, sed omnes tamen diligere, atque animum suum cum his qui Deum timent & amant conjungere debeat. Quærit quemadmodum ope eorum, quæ natura ipsi suppeditat, benefaciat. Et si deprehendit, quod bonum istud, quod per hæc media apud alios homines perficeret conatur, à se obtineri nequeat, id ipsum non afficit, quoniam scit, Deum ipsi quidem hæc media præscripsisse, seipsum autem hisce alligare noluisse, & si ipse modo hæc media temere non neglexerit, animi sui tranquillitatem eo ne minimum quidem infringi, sed Deum ipsi etiam maximis in calamitatibus succurrere & posse & velle. Deinde aliorum hominum, quibuscum conversatur, felicitatem promovere conatur, non tam quod a communi felicitate propria quoque eius felicitas dependeat, sed quod intelligit, ita Deum velle, ideoque ipsi impulsum quendam indidisse, ut aliis in hominibus magis vivere cupiat quam in seipso. Ideoque amor Dei ipsum detinet, ut et si occultissime proprium commodum cum proximi sui damno promovere posset, tamen id facere nolit, cum quod Deo confidat, quod etiam absque hoc proprii commodi studio utilitatem ipfius & que promoturus sit, tum quod vereatur, animi sui tranquillitatem hoc ipso turbare, dum alias propria ipsi conscientia semper occinet, quod hoc facto

facto contra voluntatem Dei egerit, adeoque
ulteriori Dei amore indignum sese reddiderit.

70. *Atheus* autem, quia vel Deum, vel divinam
providentiam negat, Deum etiam non amat ei-
que non confidit, nec eum timet. Quomodo
enim hunc timeret, eique confideret, quem
statuit, ipsius nullam curam gerere. Et quo-
modo hunc amaret, quem pro nihilo habet;
vel de cuius secum unione desperat, vel quem
nimis credit esse excellentem, ut eius sublimi-
tati adversetur, de ipso vel semel cogitare.
Quare cum Deum tanquam fontem omnis boni
non consideret, summum etiam bonum suum
non querit in tranquillitate animi, e rationali a-
liorum hominū amore proficidente, eundemq;
iterum operante, sed intempestiva ejus sapien-
tia rationem eius eo impellit, ut se ipsum prope-
modum Deum existimet, quia se nobiliorē cre-
dit reliquis circa se creaturis, nec quenquā ho-
norat, amatque, neminiq; confidit, ac neminem
timet, præter seipsum. Ac rebus ita compa-
ratis fere omnia quidem agit, quæ vir bonus
ac virtuti deditus, summam felicitatem quæ-
rens vel possidens agere solet; sed quia omnia
ista non agit ex amore erga alios homines, sed
ex amore erga seipsum, dum propria ipsi ratio
monstrat, quod vita irrationali seipsum reddi-
turus sit infelicem; non veretur aliis occulte
nocere, & contra communes regulas naturales
fundamentales impingere, vel ut externam
suam potestatem atque existimationem pro-

MO-



moveat, vel ut quotidie occurrentes incommoditates amoliatur. Sed hoc ipso palam tranquillitate animi excidit, et si eandem querat, partim quod cognitio Dei ab ipso data opera oppresſa interdum expurgescitur, eumque inquietat, partim quod scelerata occulte ab ipso perpetrata multum ipsi curarum parvunt, quemadmodum porro in occulto maneantur, pluraque post se malefacta trahant, unde fieri deinceps solet, ut Atheus, et si multa de libertate sua glorietur, tandem æque mancipium fiat aliorum hominum, ac homo aliquis superstiosus.

71. Negandum tamen non est *Superstitionem* pejori adhuc loco esse quam Atheum, cum multò longius à sanâ ratione abhorreat, hominem, vel bestiam, vel idolum, vel quascunq; creature &c. Deū esse credere, quam Deum omnino nō agnoscere. Nam quemadmodum semel de essentia DEI ejusmodi portenta sibi passus est persuaderi, quæ rationi repugnant, ita & de voluntate Dei paria sibi imaginatur; & nihil est tam absurdum, quod non possit ipsi imprimi ut id credat, sese hoc ipso cultum Deo posse praestare. Imo quia hoc modo rationem suam ipse pessundedit, & cupiditatibus suis huc illuc rapendum sese commisit; ipse sibi quoque persuadet, Deum iisdem, quibus ipse se mancipavit, affectibus obnoxium fore, & quamvis æque ac alii homines ad vitam fortunatam adspiret, tamen ab hoc scopo quam longissime ab-



ripitur, dumque existimat omnia se facturum ad oblationem suam, in summam calamitatem & inquietudinem sese præcipitat, estque mancipium hominum imprudentum sibi similem, vel masœ auri exanguis, que adeo facit esse Deum suum, hisque reipsa confidit, eaque timet, et si externis ceremoniis mentiatur se Deum vere colere.

72. Solus igitur homo *Philosophus* qui Deum secundum ductum rationis, ut decet, agnoscit, *homo* est, Atheus vero ac Superstitiosus bestiæ sunt, cum hac tamen differentia: *Atheus* non dispar est Simiæ, cum ad verum *Philosophum* proprius accedat, eumque in multis imitetur, nec *homo* tamen est, cum de DEO tantum sciat, quantum Simia. *Superstitiosus* vero similis est rudi *Afno*, vel *Porco* &c. cuius externæ actiones manifeste ab humanis actionibus distinctoriæ sunt.

73. Unde etiam *superstitiosus* & *idololatra* est plusquam *Atheus*, quia re ipsa ita vivit, quasi nullus esset Deus, nec malitiaœ suæ eum pudet, cum *Atheus* in speculatione sua limites transgressus non solum in externis suis actionibus non irrationaliter vivat, sed & saepius de Deo foris subtiliter ratiocinetur, et si hæc ratiocinatio tandem in *Atheismum* resoluatur.

74. Sed hæc comparatio *Athei* & *Superstitiosi* jam ab aliis eruditè ingenioseque est elaborata; Cæterum nil hoc commovearis, quod vulgo, tanto conatu *adversus Atheismum* decer-
tant



tant & vociferantur, raro admodum contra idolatriam & imprudentem *Superstitionem*. Totus fere mundus superstitioni collotenus est immersus, ideoque hanc tanquam veram pietatem rudi plebeculae repræsentare conantur. Et ideo tanto zelo elaborant, ut simpli- cem plebem ad externum cultum compellant, eumque propugnant, internum vero Dei cultum tanquam Phantasma proclament, quia iste cum superstitione egregie consistere potest, imo sæpius nil aliud est quam superstitionis. Etsi autem pauci admodum dentur Athei speculativi, tamen Superstitiosi vehementer aduersus eos vociferantur, partim ne in doctrina de Deo errores omnes inoppugnatos esse patiantur, partim quia Athei æque eorum sunt inimici, partim ut prudentes, qui ipsis quam maxime adversantur, tanquam Atheos proclaimandi occasionem capiant.

75. Certe si in historiis parum circumspiciamus, deprehendemus hoc esse perver- sum strategema, *ut veri Philosophi, iisque fere omnes tanquam Athei proclamati sint*. Inde vero prudentes hanc annotationem solent extruere, plerumque cum hominem, qui ab ejusmodi irrationali bestia etiam nostris temporibus, tanquam Atheus proclamatur, Virum honestum atque virtute excellentem esse solere. De quo alias plura.

Ca-



CAPVT IV.

DE

A MORE RATIONALI ERGA
 HOMINES, TANQVAM VNICO
 MEDIO OBTINENDI TRAN-
 QVILLITATEM ANIMI
 IN GENERE.

ARGUMENTUM CAPITIS.

Connexio. n. 1. 2. Amare de multis rebus prædicatur,
 n. 3. Etiam de arboribus aliisque vita carentibus
 n. 4. Deinde de Bestiis, Hominibus & DEO. n.
 5. De Amore hominis primum dicendum n. 6.
 Ejus definitio n. 7. Bestiæ proprie amorem non
 habent. n. 8. Amor vero DEI est incomprehensi-
 bilis n. 9. Proprie non datur Amor sui n. 10. V-
 nitio in amore triplex n. 11. Nam homo sapiens
 aliam intendit unionem in amore aliorum homi-
 num n. 12. aliam in amore viliorum creaturarum
 n. 13. aliam denique in amore DEI. n. 14. Qua-
 tuor genera amoris irrationalis. (I.) Si desiderium
 uniendi nimis est irquietum ac fervens. n. 15.
 Et si homines virtute prædicti amentur. 16. & no-
 bis videamur maxime secundum rationem ama-
 re. n. 17. Quia id non potest esse rationale, quod
 in rationem tyrannidem exercet n. 18. Et quia
 saepe nos decipiimus, existimantes non aliud nos
 querere nisi conjunctionem animarum n. 19. (II.)
 Si res noxiæ & male, hominesque mali amantur.
 n. 20. Quantumvis elegantes ac ingeniosi n. 21.
 Ejusmodi homines semper a sui similibus amantur.
 n. 22. Sed homo sapiens eorum quidem ingenium
 suspicit, sed eos non amat n. 23. nisi secundum
 regulas amoris communis, n. 24. (III.) Si diversi
 modi



modi conjunctionis confunduntur. n. 25. Ut (1) si DEUS sicut viliores creature, vel (2) sicut homines amatur, n. 26. (3) Si alii homines ut viliores creature, vel (4) ut Deus amantur n. 27. & (5) si viliores creature ut homines, vel (6) tanquam DEUS amantur n. 28. (IV) Si primario conjunctione corporis intenditur. n. 29. Hoc modo amant bestiae. n. 30. Adeoque hic amor vel est plusquam bestialis, vel bestialis, vel prope bestialis n. 31. Ultimum genus in eo consistit, si in hominibus nobis similibus vel simul cum unitione animalium, statim unitio corporum, vel aequo primario intenditur. Etsi huic specialis appellatio amoris ut plurimum tribui soleat. n. 32. Essentia etiam amoris necessario in conjunctione actionum corporis consistere videatur n. 33. Deinde homo naturaliter ad desiderium commixtionis cum hominibus alias sexus impellat. n. 34. Nam contestationes amoris a corpore profectae sunt tanquam signa, n. 35. non partes essentiales amoris rationalis n. 36. id quod exemplo officiorum innocentium ac licitorum demonstratur v. 37. 38. Præterea insigne est discriminem inter reliquias amoris declarationes, & commixtionem corporum. n. 39. Hujus desiderium magna est hominis imperfectio. n. 40. Dijudicatio formæ caret regulis fundamentalibus n. 41. Et amor formosorum hominum aequo potest esse irrationalis, ac amor hominum non formosorum rationalis esse potest n. 42. Magna est differentia inter oculum lascivia flagrantem, & oculum pudicum desiderium innuentem. n. 43. Oculus lascivia flagrans cor veri Philosophi non potest reddere inquietum n. 44. Desiderium gignendi liberos, non confundendum est cum desiderio sese in eo actu delectandi. n. 45. Hoc non est rationale n. 46. Turbat enim rationem nostram in dijudicatione boni n. 47. nosque ex causis irrationalibus per omnia anni temporis inci-



incitat. n. 48. Amor rationalis commixtionem corporum equidem admittit n. 49. tanquam signum confidentiae atque desiderii personam amatam delectandi. n. 50. non vero tanquam partem essentialem. n. 51. Tamen hic homo prudens bene se se explorat, ne seipsum decipiatur n. 52. annon amor aliquis irrationalis sub specie amoris rationalis latere conetur n. 53. (1) Si quis statim permissioni corporum inhiat, priusquam animum alterius personae cognoscatur, praesertim si ea sit formosa. n. 54. (2) Si quis falso sibi persuadet, se contentum fore obtenta conjunctione animi. n. 55. (3) Si motus humani usum corporis vi aut dolo affectant n. 56. (4) Si quid desideratur Legibus prohibutum. n. 57. (5) Si quis in hac fruitione se nullo addito pudore cupiditate sua liberat. n. 58. Discrimen amoris rationalis & irrationalis non querendum est in differentia conjugatorum & non conjugatorum n. 59. Solida demonstratio amorem rationalem aliorum hominum unicum esse medium ad vitam beatam n. 60. An amor rationalis possit esse sine dolore, inquietudine, & gaudio sensibili? n. 61. & an apud eum zelotypia locum habeat. n. 62. Voluptas, Honor, Dicitur non sunt media pervenienti ad veram beatitudinem n. 63. Amor est unica Virtus, veraque omnium virtutum mensura n. 64. Amor Dei n. 65. secundum naturalem notitiam consistit in amore aliorum hominum n. 66. supernaturalis autem non pertinet ad Philosophiam moralem, n. 67. An amor pecorum ad summum bonum necessarius sit. n. 68.

I.

Considerato jam *summo* hominis *bono* secundum essentiam suam, deinde *Deo* tanquam largitore eius, & quatenus ve-

I

ra

ra Dei cognitio in doctrina morali summe necessaria sit ; regulæ boni ordinis poscunt, ut videamus, quo medio homo hanc animi sui tranquillitatem obtineat, eamque sibi comparet.

2. Jam supra equidem diximus, tranquillitatem animi ex amore aliorum hominum profici, eumque perpetuo rursus operari. Ibi etiam jam tum paullo prolixius de amore rationali egimus, atque hoc paradoxum clare & evidenter demonstravimus, Essentiam hominis magis in amore aliorum hominum, quam in amore sui sic dicto consistere. Quoniam autem diversæ opiniones de mediis summam felicitatem consequendi hunc amorem vel obscuriore nomine *Virtutis* vel *virtuosæ mediocritatis* denotant; alii sub nomine magis specioso *Amoris Dei* falsas & à tranquillitate animi sedentes opiniones proposuerunt; alii verò sub hoc amore hominum periculose *Bestialitatem* aliquam, summum malum secum appetantem tegere conati sunt, & adhuc alii *amorem aliarum creaturarum* huic amori addere student. Necessarium opinor est, ut hunc aliarum hominum amorem denuo nobis propo-namus, eumque juxta essentiam & partes suas acuratissime consideremus, & in præsenti capite adhuc magis evidenter ostendamus, in eo unicum medium consequendi summum bonum contineri.

3. Amare equidem diversis de rebus prædicata-



dicatur, adeoque in latisima sua significacione definiri commode non poterit. Diximus *Deum* amare homines. *Hominem* res plures amare, nemo negabit. *Bestie* & sese mutuo, & res alias, imo ipsum hominem amare dicuntur. Et *arboribus* mutuuus aliquis amor tribuitur; Imo non est insolitum, de rebus *vita carentibus*, v. g. magnete & ferro amorem aliquem prædicare.

4. Ac amor quidem *arborum* & *rerum inanimatarum* fere statuitur de hujusmodi rebus non in sensu proprio accipi, quoniam luce meridianâ clarius est non esse capaces affectuum. Adeoque amor *Dei*, *hominum* atque *animalium* relinquitur, quæ ut à se mutuo benè separantur studium est adhibendum.

5. *Omnia quæ in nobis deprehendimus*, & de *Deo* tamen dicere consuevimus, metaphorice saltem de *Deo*, proprie vero de *nobis* dicuntur. Et de *omnibus quæcunque in nobis deprehendimus*, & de *bestiis* tamen etiam dicere solemus, nostra primum dicere *incipiamus*, (quia nostra nobis sunt notissima) ut deinceps intelligamus, an similiter de *bestiis* in sensu proprio prædicari queant, quando nimis conceptus est qui ad ea refertur, quæ cum *bestiis* habemus *communia*, an vero metaphorice saltem de *bestiis* dicantur, quatenus ea attinet, quibus à *bestiis* separamur.

6. Incipiendum est igitur dicere de amore, cuius *homines* sunt capaces. Et quoniam hi plura solent amare, *Deum*, *alios homines*, vi-

liores alias creatureas, primum quid sit *amor bonum in genere*, dispiciamus.

7. Est desiderium Voluntatis humanæ sese conjungendi cum eo, quod intellectus humanus bonum esse cognovit, vel in ea coniunctione permanendi.

8. Cum ergo amor sit opus humanæ voluntatis, Voluntas vero ad animam humanam referatur, Bestie non nisi metaphorice dici possunt aliquid amare, præsertim cum istud desiderium apud homines absque cogitationibus, quod videlicet res amata sit bonum quid, concipi non possit, ista vero cogitatio similiter de bestiis, quippe quæ plane non cogitant, dici nequeat. Et haec tenus amor qui de bestiis dicitur, longe est imperfectior quam amor hominum. Quatenus autem bestiæ & aliæ creature amant, quod naturæ eorum actu bonum est, catenus amore hominum est perfectior.

9. Similiter cùm Deo Intellectus & Voluntas plane alia & incomprehensibili ratione, quam hominibus tribuatur, Amor etiam qui de Deo dicitur plane alius est amor, præsertim cùm sana ratio ostendat, quod Deus, cum sit à seipso, atque essentiam rerum à se creatarum perpetuo conservet, etiam extra se nil reperiatur, quod intuitu sui bonum habere possit. Videt igitur homo, amorem Dei esse admirandum, atque incomprehensibilem, quia omnia agit, quæ amantes agere solent, nec causam tamen extra se invenit, quæ eum ad amorem istum impellere queat.

10. Por-

10. Porro ex hac Amoris definitione sequitur, quod propriè nemo *seipsum* possit amare, quia jam præcedenti capite diximus, nullam creaturā *seipsam* conservare posse, minus adhuc conjunctionem absq; duabus rebus distinctis animo posse concipi; Itaque *amorem sui* vel *inanem phantasmam* stolidorum hominum esse oportet, vel ea appellatione nil aliud nisi *defectus amoris proprie dicti* significabitur.

11. Ista vero *conjunction*, quam voluntas humana in amore intendit, pro differentia rerum amatarum, significatione magnopere distincta est. Nos iterum ab amore aliorum hominum, tanquam propriissimo maximeque perspicuo dicere incipiems, deinde amorem erga Deum & alias creaturem cum eo comparabimus.

12. Itaque *Unitio* ea, quam intendere amor hominis secundum naturalem notitiam *apud alios homines* debet, in eo consistit, cum alii homines ejusdem sint cum ipso essentiæ, ut ipse etiam essentiam suam, i. e. animam suam, maxime voluntatem suam, cum eorum anima atque voluntate ita uniat, ut una quasi voluntas inde confletur, & *neuter in alterum imperium aliquod affectet*, sed uterque mutuo novera voluntate id velit, quod alter.

13. Alia est Unitio, quæ habenda est cum aliis *creaturis inferioribus*. Hæ cùm nec intellectum nec Voluntatem habeant, non debemus animas nostras cum ipsis conjungere.

I 3

Non



Non possunt nobis per se quicquam benefacere, cum id non intelligent, aptæ autem natæ sunt, ut secundum naturalem DEI ordinationem, cum nostra tum aliorum commoda per eas promoveamus. Inde in earum amore, modo is sit rationalis, ejusmodi querimus unionem *ut subjectæ sint voluntati nostræ*, h. e. ut eas pro lubitu nostro in nostras aliorumque utilitates convertamus, ac si ista utilitas omnibus hominibus sufficiere nequeat, nobis easdem proprias reddamus.

14. Denique Unitio quam in amore Dei intendere debemus, à prioribus duabus distincta est. Deus bona omnia in nos confert, dumque est origo boni, melius quam nos bona nostra intelligit, nos vero, nostra quidem potestate Deo ne minimum quidem beneficium exhibere possumus, imo plerique in cognitione eorum quæ bona nobis sunt, cœci sumus. Valde itaque esset irrationale, si in unionem cum Deo quereremus, ut Deus voluntatem suam cum nostra ex æquo conjungat; adhuc magis rationi dissolum foret, si posceremus, ut Deus voluptatem suam voluntati nostræ plane conformet. Sed & debile rationis lumen nobis ostendit, unionem hanc nullâ in re alia consistere oportere, nisi *ut voluntatem nostram eius voluntati subjiciamus*, & actiones nostras juxta actiones divinas instituamus, neque impatientes aut morosi fiamus, si ab ejus ma-



manu aliquid nobis accedit, quod voluntati nostræ est ingratum.

15. *Amor itaque humanus duplex est, rationalis & irrationalis.* Illum haec tenus descripsimus atque declaravimus, hic in multis ab illo deflebit. Nam (I) jam capite secundo diximus, desiderium amoris rationalis esse *tranquillum*, non irrequietum. Itaque cum homo in amore suo desiderium ejusmodi *irrequietum ac fervidum* deprehendit, ut seipsum regere nequeat, & ut infelicem sese existimet, si non continet, ut cum persona dilecta uniatur; certissime sibi persuadeat, amorem suum non esse rationalem.

16. Non hic loquor de his, qui impulsu ejusmodi inordinatum apud se sentiunt, si quid rationale amant, vel commixtionem corporis irrationalem intendunt, nam de hoc amoris genere mox peculiariter agemus; sed de iis, qui *personas rationales* amant, & ut ipsi quidem existimant, unionem animæ & voluntatis querunt, & præ amore quasi deficiunt vel deliquium patiuntur, certe *præ amore moriuntur vel agrotare incipiunt.*

17. Nimis equidem dura hæc thesis mea nonnullis virtutis amatoribus videri posset, ac ipsi ad proprium exemplum provocare possent, quod honestam semper intentionem habuerint, nec unquam carnalem copulam intenderint, nihilominus tamen hujusmodi angens desiderium apud se saepius deprehende-



rint, quod ipsis invitatis quietem nullam concesserit. Imo sine dubio ad tot libros de honesto amore agentibus me ablegabunt, in quibus universis amor ita describitur, quod *ratiōnēm nostrām subigat*, & *in nos* invitatos dominetur.

18. At id ipsum est, de quo loquor, *quicquid in rationēm nostrām tyrannidem exercet, id non est rationale*. Sunt distincti gradus amoris irrationalis. Hic infimus gradus est, ideoque pro irrationali non est proclamatus, sed dictum saltē est, non esse eum rationale. Poteſt itaque homini accidere, qui non irrationaliter amat, sed honestum scopum sibi præfixit, ac hominibus rationalibus annumeratur. Nec pro exemplo tamen hominis sapientis venditare se potest. Hæc una est de primis regulis Philosophiæ moralis, nil esse concupiscendum, quod est impossibile, aut inane. Et hic certissime unus est de modis explorandi, magister ne an *discipulus* aliquis sit in doctrina Ethica, prout in *honesto etiam proposito* aliquis desiderium vel fervens vel indifferens apud se deprehendit.

19. Non jam dicam de his, qui cum adhuc sint tyrones, seipſos decipiunt, existimantes se in amore suo nil præter *unionem animorum intendere*, cum mox deprehensuri sint, se plane aliam unionem querere, eamque esse quæ ipſos faciat ægrotos atque angentes, tantumque à pudore, item à timore, vel ambitione, &c. oppugnari. Nam quemadmodum hac in

par-



parte aliquis sese explorare debeat, mox aperius exponemus.

20. Altera classis amoris irrationalis est, cum rex noxiæ amantur, quarum usus *bonis* annumerari non potest. Hic exemplum equidem dare non possumus ab amore erga Deum petitum, sed tam in amore erga homines, quam in amore erga res alias, exempla plura amoris irrationalis deprehendere possumus.

21. E.g. Si quis cibum *dulcem* quidem, sed insalubrem appetit. Si his rebus indulgetur, quæ *sensus sensibiliter oblectant*, vel quæ raræ sunt, quarumque usu *teneritudinem* quandam contrahimus. Et inter homines hos qui *voluptatibus sunt immersi, ambitiosi, avari,* breviter: qui sunt vitiosi, quantumvis alias *accepti & elegantes, ingeniosique ac prudentes* sint.

22. Eoque magis homo prudens ab ejusmodi amore sibi caveat, quod alii homines prudentes secundum personas quas amat, certissime eum judicabunt, dum omnis amor in similitudine quadam fundatur, cum ex opinione de bonitate rei oriatur, omne autem bonum, quemadmodum primo capite diximus, inconformitate cum aliis rebus consistat.

23. Ac et si obtendas, te non amare hunc hominem, quod certo aliquo vitio laboret, sed ob *morum elegantiam, & excellens ingenium,* accurate tamen cavebis, ne temetipsum decipiias. Aliud est, *magnificere aliquem, aliud amare.* Licebit ejusmodi hominem ob ele-



gantiam atque ingenium magnificare, sed in amore quæris unionem animorum ac voluntatis, & sic dum eum amas, vitiorum ejus participem te fieri oportet.

24. Licet enim sequens caput docebit, omnes homines esse amandos, tamen initio *amor communis* & *amor peculiaris* differunt, ut suo tempore videbimus. Imo amor etiam communis eò tendit, ut ipsum ab erroribus ac vitiis suis liberes, adeoque si amor erga vitiosum exerceatur, amor potius conditionate, si nimirum sceleribus sese abdicat, quam pure talis appellandus est. Et si in animo tuo certus es, te hoc primario intendere, nec actionibus tuis palam contrarium ostendis, ejusmodi amorem neque pro irrationali habebo.

25. (III) Irrationalis est Amor respectu modi, qui in unitione quæritur: Si nimirum unitio Deo debita hominibus tribuitur, vel si quis cum Deo uniri desiderat ea ratione, quam cum hominibus & bestiis aliquis sese unire deberet, &c.

26. Ita vero in hac classe 6. modos habebimus amoris irrationalis: (1) Si in amore erga *Deum* cupimus, ut *DEUS voluntatem suam mere voluntati nostrae* accommodet, qualis amor apud omnes *superstitiosos* deprehenditur. (2) Si optamus, ut Deus voluntatem suam *equa nostrae* accommodet voluntati, sicut nos in rebus, nobis non admodum adversis paratus sumus nostram voluntatem divinæ accommoda-

da-



dare. Qualis amor apud hos reperitur, qui pauxillum tantum in via virtutis ambularunt.

27. (3) Si quis *alios homines* ita amat, ut *in eorum voluntatem imperium* sibi semper arroget, id quod non tantum *Ambitiosis* atque *Superbis*, sed & *externe moratis hypocritis* frequentatum est. (4) Si quis *alios homines* ita amat, ut voluntatem suam *eorum voluntati penitus subjiciat*, iis tanquam Deo confidat, ut Deum hos amet, ac se ab iis *mancipari patiatur*, cuiusmodi amor maxime apud *voluptati deditos* reperitur, qui parum habent ambitionis.

28. (5) Si quis *creatures irrationales & vita destitutas* ita amat, ut cum *ipsis tanquam hominibus* conversetur, & de eorum bene vel male esse & que participat, ac si homines essent ratione prædicti, & voluntatem haberent nobiscum conjunctam. v. g. Si homines qui in avara teneraque voluptate oblectationem suam quærunt, *equos, canes, aves* adeo extremo amore prosequuntur, ut plura eis beneficia exhibeant, quam aliis hominibus. (6) Si hujusmodi creature, in primis res inanimatae ita amantur, ut homo earum (ut ita dicam) *fiat mancipium*, quasi voluntatem habent, quæ nobis imperare posset. Hoc modo *avari* saccum pecuniam onustum amant.

29. (IV.) Supereft alius adhuc modus amoris irrationalis, de quo paullo explicatus nobis est dicendum, ut inter duas opiniones de veritate longius deflectentes medium viam teneamus

mus. Supra diximus, quod homo in amore aliorum querere debeat, quemadmodum *animam suam* cum anima aliorum hominum uniat, & hac ratione non potest non amor, in quo homo unionem *corporis sui* cum corpore aliorum hominum primario intendit, novum genus amoris irrationalis constituere.

30. Nam ista ratione amant bestiae. Eorum instinctus tantum ad permissionem corporis cum corpore aliis bestiae eas impellit, ita ut non soleant differentiam facere *inter individua*; Unde etiam is amor bestiarum proprie furor magis quam *amor* appellari meretur. Ex adverso natura humana in eo a bestiis distincta est, ut quemadmodum ipsi homines inter se diversas habent facierum figuram atque affectus, ita & homo, etsi in permixtionem corporis prolabitur, fere tamen, nisi plane in bestiam degeneravit, *bominem praehomine amare soleat*.

31. Ita vero notandum est, in hac classe tres species amoris irrationalis reperiri: (1) *Amorem plusquam bestialem*, si quis instinctum irrationalis apud se deprehendit corpus suum cum corpore personae ejusdem sexus, vel cum creaturis diversa speciei commiscendi, quod etiam bestiae abhorrent. (2) *Amor bestialis seu meretricius*, si quis cupiditates suas cum quibuscumque personis sine respectu facierum vel affectuum explere, vel augere potius & ad voluptatem provocare querit. (3) *Amor fere bestialis*, quando quis discriminem quidem facit inter per-

personas, vel ratione figurarum faciei; vel ratione affectuum, mox tamen in his in quos amore suo ruit, simul conjunctionem corporis, imo *banc solam sine unitione voluntatis seu anime inten-*
dit. Et de hoc in primis pluribus agemus.

32. Nam cum huic plerique hominum deti sint, adeò ut & inter Philosophos ille nomen *Amoris* solus retinuerit, alteri vero amori qui ejusmodi corporis unionem non intendit, frigidum nomen *Amicitiae* tribuerint, cum in vera Philosophia vera amicitia & amor unum idemque sint; non deflunt speciosa argumenta, quibus hunc amorem si non rationalem, efficere, tamen è numero amoris irrationalis eximere conantur.

33. Ac initio quidem negari non potest unionem animarum humanarum sive duarum voluntatum fieri non posse sine concursu corporis, nec ute duabus animabus revera & actu una anima & unus homo fiat; sed omnino ea nulla in realia, nisi in conformitate actionum corporis externarum à gemina voluntate dirigi solitarum quæri debet. Et hac ratione neque amicitia, neque amor sine conformi operatione corporis comprehendendi potest; Cumque in conformitate voluntatis unitio animæ quæratur, quis dicere prohibeat, ob conformitatem externi motus corporis in omni etiam amicitia atque amore corpora quoque esse quasi unita, adeoque è duobus amicis unum quasi corpus, unamque animam fieri oportere,

34. De-



34. Deinde homo cum bestiis sece conserens in natura sua hoc discrimen quidem deprehendit, ne sicut bestiae cum quibuscumque personis diversi sexus, nulla habita nec animorum nec figurarum faciei differentia permisce se querat. Sed hoc etiam deprehendit, naturam suam non solum hanc facultatem ipsi dedisse, *formosum* seu *appetibile à deformi* discernendi; verum in toto genere humano internum hunc instinctum sentit, quod pulchritudo, cum primis *oculus formosus & ad amorem provocans*, qui apud bestias non reperitur, apud se desiderium permixtionem corporis intendens excitet, cui resistere ipse quidem imparsit, & cui ne sapientissimus quidem Philosophus repugnaturus esset. Imo deprehendit inter duas personas diversi sexus *communem* quandam *impulsum* per comixtionem corporis mutuo delectantem *liberos procreandi*; Et inde unitio animae seu voluntatis inter duas personas diversi sexus, sine hac corporum conjunctione non videtur ipsi dici posse perfecta.

35. Sed hic sciendum est, Amorem equidem sive amicitiam, sine *officio corporis* cognosci non posse, eo quod homo animam vel cogitationes alterius hominis sine externo aliquo signo nunquam comprehendere, nec cor ejus quasi transpicere queat. Et quamvis Homini sermo ac verba data sint ad cogitationes suas alteri communicandas, tamen haec signa plus valent, in intellectu hominis, quam in volunta-

tate. Hic enim unica *aetio* plus valet quam mille *verba*, et si fere verba actiones praecedere soleant. Nihilominus inde ne tantillum quidem argumentari poterit, amorem rationalem principaliter, vel *aque in unitione actionum externarum*, quam in unitione animae atque voluntatis consistere.

36. Insignis enim differentia est inter *Essentiam rei*, & inter *signum* vel imaginem ejus. Signum semper est aliquid quod cum essentia nihil habet commercii, sed eam consequitur, vel secundum eam instituitur. Et ita etiam officium actionum externarum cum unione animae per se nil habet commercii, sed eandem consequitur, eamque tam in amicitia, quam in amore personae dilectae mutuo significat.

37. E. g. Si homo virtuti deditus foemina honestam atque prudentem amare incipit, animamque suam cum anima ejus unire cupit, ambo dant operam, postquam *aspetto* pleno reverentia ac desiderio, vel *sussirio* ex intimo corde profecto signum sibi reciproce dederunt, ut mille *officiolis* sibi mutuo praestitis alter alterius voluntatem ex oculis quasi colligat, sed & voluntatem ejus præveniat, tantum abest ne alter alteri externis actionibus, in his quæ alter ab altero manifeste poscit, gratum faciat.

38. Quis autem dicat in his *minutis officiolis* essentiam amoris seu amicitiae consistere; quæ sèpenumero, si eorum pretium & utilitas æstimem-

metur, tam vilia sunt, ut pudere aliquem oporteat, si hæc alteri tanquam *officia ex amore profecta* obtrudere cuperet, quæque omne, pretium suum à libertate ac spontaneitate seu candida humiliatione personæ meritis præditæ lucrantur? Præsertim cum è contrario secundum æstimationem amoris, officia magnis impensis comparata, & infimæ humiliations nullius sint pretii, si infallibili examine comperatum est, quod non è sincero corde, sed ex amore fucato ac hypocritico profecta sint, ideoque etiam hæc signa non ad essentiam amoris pertinere, quia sæpius è falso corde proveniunt.

39. Deinde accurate distinguendum est inter *ceteras amoris testificationes*, quæ externis actionibus exprimuntur; & *unionem corporum*, mixtione eorum factam. Posito enim, quod ad essentiam amoris officia externarum actionum pertineant; vel concessò cum hæc signa sint infallibilia veri amoris, desiderium saltem eorum non esse posse irrationale, tamen non statim inde sequitur, amoris benevolentiam corporum commixtionem intendentem hisce annumerandam esse, sed de hoc separatim prolixius loquemur.

40. Jam etsi debile *lumen rationis humanae* sine divina revelatione in agnitione communis mali voluptatis venereæ insigniter cœciat; lumen tamen naturæ id saltem nobis significat, hanc cupiditatem miscendorum cor-

po-



porum non bonam, sed *insignem esse imperfectiō-*
nem, et si ad alios gradus minus subtilem compa-
 rata purissima videatur, multa item etiam ab
 his, quos mediante divina patefactione me-
 lius ratiocinari deceret, præsertim inter con-
 jugatos haberi pro indifferentibus, quæ ratio-
 ne etiam judice bestialia magis quam rationa-
 lia sunt.

41. Primum enim magna imperfectio est,
 quod homines in dijudicatione *pulchritudinis*
corporis minimum fundamenti habent, sed di-
 versissimis sibique contrariis opinionibus hic
 obnoxii sunt, quæ cum nulla ratione nitantur,
 pro rationalibus etiam venditari nequeunt, et-
 si nec possint irrationales nuncupari, cum den-
 tur quedam facierum figuræ, quæ ab omnibus
 formosæ vel deforms existimantur.

42. Deinde cum manifestum sit, putredi-
 nem corporis sapissime cum pulcritudine a-
 nimæ seu virtute non esse conjunctam, non
 possumus equidem *amorem hominum formosorum*
simulque virtuosorum vituperare, nec odium
 tamen hominum virtuosorum sed deformium,
 nec amorem viciosorum licet formosorum ho-
 minum pro rationali venditare possumus.

43. Neque hic admodum opus est ingenio,
 ut intelligas irritationem *formosæ faciei*, vel *pul-*
cri oculi, quæ statim de mixtione corporis co-
 gitat, *magis esse bestiarum*, quam hominum. O-
 portet enim hunc parum scire de amore rati-
 onali, qui distinguere nequit inter ignem *oculi*



*lascivia flagrantis, imo etiam amorem expectantis vituperio dignum, & irreprprehensibiles gestus oculi blandientis, & unionem animarum primario intendentis, ac *estum* tantum cupidinis quem ille excitat, nunquam verò *puadicam*, hujus flammam sensit.*

44. Concedo, quod oculus flagrante lascivia penetrans imo etiam impense personæ a matæ inhians cor cereum *hominis in virtute tyronis* facile liquefaciet; sed ineptuli hi cautione opus habent, ne cor veri Philosophi sapientia ac virtute obfirmatum sui cordis mensura metiantur. Præsertim cum plures etiam vi naturalis suæ mixtionis hujusmodi irritamentis facile resistere queant, quod colloquium Socratis cum Theodota apud Xenophontem ipsi ostendet.

45. Denique Instinctum utris Sexui proprium liberos procreandi, cum Instinctu voluptatem appetente non confundamus. Instinctum gignendi liberos quatenus is rationalis est, sequi demum oportet unionem animorum, nec aliud quid intendere, nisi ut duæ personæ se esse mutuo amantes semper in liberis aliquid reperiunt, cuius ope castæ unionis animarum suarum recordentur, quippe in quibus ea ab utraque parte velut concentrata est. Et ita hic Impulsus nequaquam usum voluptatis corporis primario intendit. Et si impulsus huiusmodi rationalis apud paucissimos homines invenietur, paucissimi enim homines ratione uti sciunt.

46. Quod autem universalem inclinationem hu-



humani generis *ad hanc voluptatem corporis at-*
tinet, homo equidem secundum nudam ratio-
nem, ut jam diximus, clare ac perspicue com-
prehendere non potest, hanc inclinationem,
esse plane irrationalem, eò quod eandem in o-
mniibus hominibus deprehendit. In considera-
tione tamen ejus satis argumentorum repe-
riet. quamobrem eam non possit habere admo-
dum rationalem, & ex quibus intelliget hunc Im-
pulsum non semper naturalem esse.

47. Nam dum videt hunc Impulsum, quan-
 do hominem fortiter urget, ejus animum adeo
 occupare, ut aliquid *summum bonum* esse pu-
 tet, cuius deinceps, cum æstus parum remisit,
justum tedium capit, non potest aliter statuere;
 quam non posse eum esse valde rationalem, cum
 veritas veritati repugnare nequeat.

48. Deinde si naturam humani corporis e-
 xaminat, naturale quidem esse deprehendit,
τεκνογόνα creare voluptatem, sed & istud de-
 prehendit, cum bestiæ certo plerumque tem-
 pore in anno hunc impulsu apud se sentiant;
 hominem irrationali magis usu cibi ac potus,
 otioque & aliis rebus male consuetis, quam na-
 tura sua *quibusunque anni temporibus* inclinatio-
 nem ad eam voluptatem apud se excitare. Et
 valde esse naturale, ut homo laboriosus & per-
 vigil, à cibis & potu insigni gradu calidis absti-
 nens, non tam fortem impulsu ad hanc volu-
 ptatem apud se deprehendat.

49. In hac vero collatione homo sapiens

K 2

tan-



tandem concludit, amore rationalem permixtio-
nem corporis nūiquā nec primario, nec indifferen-
ter intendere oportere; et si conjunctionē cor-
porum nō possit omnino ex animo removere, &
interdum desideriū corpus suum cum corpore
personæ dilectæ miscendi, si non est principale,
sed *accidentale*, amorem rationalem non reddit
irrationalem. In amore enim *irrationali* amant,
quia corpora miscent. In amore autem *rati-
onali* appeti nonnunquam potest corporum
commixtio, quia se mutuo amant.

50 Hoc quod postremo loco diximus, ita
intelligendum est. Cum duæ animæ mutuo
sunt unitæ, oportet è gemina voluntate unam
fieri, & utramvis personam magis *in altera* quam
in seipsa vivere. Id autem fieri non potest, ni-
si uterque sibi mutuo omnem *exquisitissimam de-
lectationem*, rationi non contrariam parare ni-
tantur, sibique reciproce omnia arcana, ne
defectibus quidem exceptis (non confundendi
sunt autem defectus cum rebus irrationalibus)
mutuo revelent. *Verg* enim *amor non patitur arca-
num*, & suo tempore docebimus, quod et si *Impu-
dentia* cum amore rationali nequeat consistere,
nimius tamen pudor exigui amoris indicium sit.

51. Itaque in *rationali* etiam amore deside-
rium miscendorum corporum non quidem
pars *essentialis*, sed ejus duntaxat est *signum
necessarium nec irrationale*, si sub allatis conditio-
nibus & ut nudum signum appetitur. Hac
autem ratione nil attulisti thesi nostræ contra-
rium,



rium, quando dixisti, inter duas personas diversi sexus unionem animarum seu voluntatis sine unitione corporum perfectam nuncupari non posse. Hoc enim tantum supra volumus demonstrare, hunc amorem irrationalem esse, quando aliquis in persona amata statim sub initium amoris, vel simul, vel solum ac unice corporum permixtionem intendit.

52. Sed video te gaudere hac mea declaracione, multumque te obtinuisse tibi videri, si cupiditates tuas, quas in conversatione cum personis alterius sexus interdum apud te deprehendis, saltem absque laesione Ethices exemplere tibi liceat, cujuscunque id tandem fiat, considerationis nomine. Ait enim, ita esse omnino, solas te amare personas rationales, querere te principaliter, quemadmodum animam tuam cum ipsarum animabus unias, corporis vero mixtionem ideo saltem te expetere, ut communicatione hujus arcani eò plura examina de benevolentia personæ amatæ in promptu habeas, eamque magis quam temeti plumbum delctes.

53. Obscero te ne præmature gaudium,
anticipes, neque te ipsum decipias. Hæc the-
orematum in quibus desiderium miscendorum
corporum & irrationale & rationale pronunci-
avimus, non sunt subtiles ineptiæ Metaphysices
scholasticæ, quas pro lubitu & pro ratione af-
fetu ordinare ac ponere queas; sed de re ipsa &
differentia desiderii bestialis & humani petita,

K 3 sunt;

sunt; Ideo te accurate examina, an passio tua ita comparata sit, quemadmodum contendis, an vero amor aliquis irrationalis sub ea se se occultare conetur.

54. Si hoc desiderium tuum deprehendis prematurum, priusquam animum personæ dilectæ accurate exploraveris, ex animo ne ameris, an commodi inde emergentis ratione habitâ, tuine existimatione, an lasciva quadam intentione amor iste nitatur, præsertim si persona amata externa pulchritudine prædicta sit, fallderis si putas te primario animam tuam cum anima alterius unire velle. Est pulchritudo, vel alia quædam corporis qualitas, quæ ad amorem te provocavit, & amor tuus vaide est irrationalis.

55. Ac si omnino animorum unionem primum intendas, tibique persuadeas, te velle esse contentum, si certus esse queas de existimatione atque amore rationali sœminæ virtute & prudentia præditæ, etsi non admodum formosæ, accurate te examinabis, an fidere huius persuasioni debeas. Nam & irrationalis amor sub hoc prætextu subrepere solet, & corda adolescentum sub tegumento amoris rationalis fascinare conatur. Interroga modo cor tuum accurate, an contentum futurum sit, si innocuam illam unionem quam initio expetebat, obtinuerit.

56. Ino etiam simul explora, etsi initio animorum tantum upitionem quæsivisti, & longo

longe demum interjecto tempore, hoc apud te
desiderium deprehendis, idque tibi non aliter
nisi tanquam desiderium personam amatam
oblectandi proponis; annon *propriam magis*
quam ipsius *delectationem*, ac voluntatem tu-
am ipsa *invita* explere intendas. Amor ratio-
nalis ne minimam quidem benevolentiae con-
testationem *vi rapit*, nec periculosa ac fraudu-
lenta *persuasione*, sed quærerit quemadmodum
eas *actionibus ingenuis atque virtuosis*, & *officiolis*
minutis mereatur, eoque plus sentit *delectatio-*
nis, quo magis sp̄onte ac libere persona amata
hęc officia benevolentia ista remunerare quæ-
rit. Idoneus est qui formosissimę mulieri, quę
sincere eum amat, prope adsit, nec eam tamen,
ipsa renuente, attingat. Imo sibi ipsi vim maximam
potius illatus esset, si persona amata eius tu-
telę se submittit, ac confitetur, sc̄e amoris so-
licitationibus amplius non posse resistere, simul
autem pudica quadam confidentiā serio rogat,
ut ejus pudicitiae curam gerat, quam ei minimā
vi, vel abusu confidentiæ erga se habitæ argre-
facere audeat. Cum ex adverso amor *irratio-*
nalis libidinem vel *vi*, vel falso seducenti-
bus *promissis*, vel ficta *desperatione* explere
tentet, & vel vera vel ficta *denegatione*
in fervorem fortius adhuc agatur, & de-
decus hoc existimatus esset, si oportunam
hanc occasionem, in qua alter resistendi impo-
tiam confitetur, negligeret. Et qui nobiles hos
motus jam dictos nunquam apud se deprehen-
dit,



dit, is certissime sibi persuadeat, profundissime
se adhuc in bestialitate hærere.

57. Porro etsi deprehendis, quod initio con-
junctionem animarum quæsiveris, in ipsa eti-
am persona amata desiderium amorem mixcen-
dis corporibus contestandi animadvertis, eam-
que contestationem tanquam signum perfectæ
confidentiæ ipse expetis; ulterius inquirere,
ne obliviscaris: Annon hanc amoris contesta-
tionem a persona dilecta poscere *lege quadam*
prohibeari: Supra enim eam eatenus saltem
pro rationali venditavimus, quia verus amor
quærat personæ amatæ omnem exquisitissi-
mam delectationem rationi non adversantem
conferre. Iam vero id quod legibus adversatur,
irrationale est, & ut amor iste non potest habe-
ri pro rationali, si altera persona in eo suam
quærat delectationem, ut hominem occide-
rem, vel alia facinora rationi adversa perpe-
trarem; ita nec hoc amoris genus pro ratio-
nali venditari potest, quod corporum mixtio-
nem *contra leges*, tanquam *amoris argumentum*
exposcit. Diximus etiam istiusmodi actiones
quæ ex infirmitate fiunt, non confundendas es-
secum his quæ sunt *contra sanam rationem*. Si
legibus prohiberis, quin coëas, non arcanum
communis humanæ infirmitatis, sed flagitii ti-
bi creditur, imo ipse in ejus flagitii consortium
pertraheris; nec amplius quid agere tum pot-
est amor rationalis, quam ut aliis *amoris officiis*
innocentibus promptam voluntatem significet, per-
sonæ



sonæ dilectæ hac quoque ratione oblectationem exhibendi, si id per leges liceret: & ut partem debiliorem bono exemplo amore ac mansuetudine confirmet, ne a via sanæ rationis in devia abripiatur.

58. Denique etsi omnino legibus non prohibebaris hoc amoris argumentum seu contestationem vel dare vel accipere, necesse tamen est ut teexamines an *verbis hīc velfactis obscenis* hanc infirmitatem confirmare potius, quam *pudica quādam via* ab utroque te liberare coneris. Sufficit hanc infirmitatem omnibus hominibus esse communem, ea vero eatenus tantum naturalis est, quatenus intra limites communis impulsus consitit. Sed si augeatur, exceduntur fines familiaritatis, & debita mutuo existimatio; commutaturque ea in bestialem quandam exæquationem, atque despectum, præfertim si quis in amolienda hāc infirmitate eandem sine necessitate verbis & factis impudicis rursus excitare conatur.

59. Hæc adeo sana ratio nobis dicitat cuiusmodi amorem rationalem esse oporteat; dolendum autem est, quod differentia amoris *rationalis & irrationalis* magis in discrimine conjugatorum & cœlibum, quam in regulis hisce claris ac evidentibus queratur, & ita amor omnis nondum conjugatorum illicitus, sed omnis amor maritorum atque uxorum licitus ac *rationalis* existimatur, cum tamen cœlibes, modo leges non transgrediantur, animæque unionem,



principaliter intendant, ita sese possint mutuo amare, ut is amor rationi congruat, conjugatos vero, pro dolor, vulgata experientia testetur complures amandi modos bestiales frequentare, & virum sapientem, qui vulgarem malitiam aliquatenus perspexit, necesse sit, non absque ratione suspicari, quod congressus utriusvis sexus interdum non tanta cum bestialitate agitentur in lupanari, quam in thalamis conjugatorum magnam prudentiam ac virtutem præ se ferentium.

60. Jam perspicue (ut videtur) ostendo, quibus in rebus amor hominis rationalis versetur, non erit difficile demonstrare, *Amorem rationalem erga alios unicum esse medium ad veras animi tranquillitatem perveniendi*. Id enim non solum ostendit hoc quod jam de *natura hominis* assertuimus, quod videlicet abque pacata societate vivere commode non possit, quodque hæc animi tranquillitas perpetuo novum amorem operetur; sed & ipsa definitio *tranquillitatis animi* id satis evidenter ostendit. Supradiximus eam esse tranquillam aliquam delectationem gaudii pariter ac doloris sensibilis experitem. Jam ostende mihi aliquid in orbe terrarum, in quo *tranquillam* istam *delectationem* inveniri liceat, præterquam in amore aliorum rationali. Aliqua ne delectatio huic amori præferenda est? Nunquid eo *tranquillus*? Necesse est omnem voluptatem, ambitionem atque avaritiam ob annexam inquietudinem eo



eo longe esse inferiorem. Ecquis amor est absque omni tripudiantे gaudio, præter hunc? Et quæ delectatio est absque dolore, nisi hic, quem diximus, amor? Imo ubi major est dolor, quam ubi hic amor desinit, hominemque in odium ac inimicitias detrudit, unde summa inquietudo, & consequenter summum malum originem trahit.

61. Replicas: Audivi tamen *amorem verum a rationalem non esse posse sine inquietudine, dolore; & consequente gaudio sensibili;* Item zelotypiam & minuta jurgia esse argumentum & quasi somitem amoris rationalis. Testantur id omnes libri amatorii à prudentibus autoribus scripti, & defectus zelotypiæ defectus etiam est amoris. Ubi autem est zelotypia, ibi inquietus etiam & dolor. Et consequens reconciliatio dat gaudium sensibile.

62. Sed hic sciendum est, quod in Ethica nostra non sequamur aliam regulam nisi sanam rationiem, nec *autoritatem omnium libellorum amatoriorum* nos deterrere patiamur, præsertim cum autores isti in describendo amore rationali plures adhuc errores committant. Homines imprudentes, vel saltem incipientes ad tranquillitatem animi adspirare, ac amore suo è bestialitate parum emergere, ad dictum modum inquietum amant. Ubi zelotypia, ibi diffidencia, ibi nulla animarum conjunctio & consequenter nullus verus est amor. Homo prudens non diffidit, personæ amatæ, quamvis hic

hic cautionem adhibeat, ob adhærentem ei humanam imbecillitatem. Ita enim non esset sapiens, nec virtuti diffidit personæ dilectæ, ita namque eam non æstimaret nec diligeret. Sed de zelotypia infra prolixius agemus, quando naturam ejus paullo accuratius examinabimus.

63. Et quamvis alii ex Eruditis veram beatitudinem *ex alio fundamento* exquisiverint, diversis tamen verbis duntaxat sunt usi, vel eorum sententia oppido falla est. Jam supra notavimus, quod nemo nobis possit persuadere, ullum unquam Philosophum serio summum bonum *in amore bestiali voluptatis* quæsivisse, et si hoc Epicuro & Aristippo tribuitur. Idem de *Honore ac divitiis* affirmare possumus, quoniam hæc omnia non præstant quietam aliquam delectationem, quæ quidem sensibili gaudio ac dolore vacaret.

64. Cæterum insigne nobis inde emergit compendium, si medium summi boni consequendi in amore potius rationali quærimus, quam si obscuro ac æquivoco *virtutis* vocabulo hic usi essemus. Neque enim nobis cum aliis Philosophis tunc contendendum est, num hoc sumnum bonum per habitum, an per actionem virtutis consequamur. *Dominos* nos esse oportet *amoris*, neque amor est otiosus, sed semper habet quod agat. Taceo in definitione virtutis, *mediocritatem* in ea requisitam partim valde obscuram, partim multis rixis esse obnoxiam. *Amor vero est genuina virtutum omnium mensura*, & absque eo virtus est mortua.

Imo



Imoubiamor est, non curo mediocritatem. E.g. Si ob inanem gloriæ speciem vel minimum periculum subeo, quod superare quidem valeo, audax magis sum quam magnanimus; Sed si amicum liberaturus maximo periculo me expono, in quo vitæ jacturam facio, audax non sum, sed magnanimus. Si, ut amicis benefaciam, ad honores adspiro, non sum ambitiosus, & si in gratiam amicorum summos dignitatis gradus recuso, non possum incusari tanquam αφιλότημθ. In amore virtutes omnes longe felicius concurrunt, quam (ut vulgo perhibent,) in Justicia. Summa Justicia non potest effugere crimen imprudentiae. Sed in bono agendo æque non possum esse nimius, ac in amore rationali.

65. Sedeminus audire me videor *Sycophantam*, contra hanc thesin nostram ita gementem: Ote miserum, num per *amorem hominum* rationalem cogitas summum bonum consequi. Amor Dei summum bonum est, eique amor omnis erga homines consecrari debet, etsi vel maxime is est rationalis. Quomodo ergo amor hominum erit unica via ad summum bonum?

66. Facilis autem est responsio. Quæsto, bone vir, unde eo deyenisti, ut amorem Dei, quem non vides, tantopere crebris sermonibus jactes, & amorem hominum, qui amore tuo quotidie opus habent, è corde tuo penitus relegaveris. Deus te secundum instinatum sanæ rationis ad *amorem hominum* ablegat, quia



quia secundum cognitionem tuam naturalem cultum aliquem divinum *magis rationalem* reperire non potes, quam si cor tuum cum aliis hominibus unias, ut supra demonstravimus. Sed cum malitia tua eo emitatur, ut amorem illum Dei ignoret, ipse tibi ejus loco fingis amorem, electum externis è ceremoniis, vel è cogitationibus subtilibus inanis cujusdam literaturæ, ad quem colendum non magno tibi opus sit labore. Et sicut ne tantillum quidem de vera animi tranquillitate possides, ita ne minimam quidem ejus particulam hoc amore Dei à te confictio afflueris.

67. Ultero quidem fateor, esse *Amorem Dei*, cui omnem hominum amorem cedere oportet, quando nimurum is irrationalis est, & in voluptate, ambitione ac avaritia fundatur. Quatenus autem amor iste rationalis est, amori erga Deum tantum abest ut contrarius sit, cum unusquisque potius gradum amoris erga Deum secundum amorem hominum apud se ipsum examinare debeat.

68. Denique Doctrinæ nostræ parum incommodabitur ab his qui nimis amant, & in obtinendo summo bono amori aliorum hominum *amorem* etiam *bestiarum* conjungunt. Supra diximus amorem bestiarum irrationalis esse, si bruta animantia amantur tanquam homines. Bovi equidem debetur pabulum suum, sed & verbera. Et justus pecudis etiam suæ miseretur, quia veram beatitudinem jam possidet.

siderit. *Amor enim hominum est mensura amoris bestiarum*, & quicunque illum possidet; hunc quoque possidet. Quid ergo prodest media consequendi summi boni prater necessitatem multiplicare?

CAPVT V.

DE

AMORE UNIVERSALI ERGA
OMNES HOMINES.

SUMMARIUM.

Connexio n. 1. Amor est duplex, universalis & particularis n. 2. Quia æqualitas hominum duplex est, (1) Generalis, dum omnes sunt homines n. 3. h. e. quod communibus & opportunitatibus fruuntur, & communibus naturæ humanæ debilitatibus obnoxii sunt, n. 4. quod sibi mutuo æque nocere, & æque commodare possunt. n. 5. (2) Specialis, eaque quadruplex. n. 6. Si omnes homines essent virtuosí, non esset discrimen inter amorem universalem & particularem. n. 7. Universalis in communi æqualitate fundatur. n. 8. Estque defectus odii magis quam amor. n. 9. Specialis æqualitatis genera quædam, ut æqualitas ætatis, Statuſ, &c. ejusmodi sunt, ut ſepe fiant fundamentum odii. n. 10. Diversitas Sexuſ amorem magis promovet, quam impedit. n. 11. Æqualitatem affectuum inter duos Voluptuosos vel ambitiosos ad summum amorem fucatum lignere. n. 12. 13. Sola æqualitas ſtudii virtutis creat verum amorem. n. 14. Discrimen amoris universalis & particularis, fucati & veri. n. 15. Differencia inter amorem Universalem Sapientis & Imprudentis. n. 16. Amor Universalis est norma amoris

par-

particularis. n. 17. Nemo hominum odio habendus est, et si oporteat hostes cum amicis habere communes. n. 18. Nec errantes & flagitiosi odio habendi sunt. n. 19. Amor universalis in 5, consistit Virtutibus. n. 20. Quarum (I.) est HUMANITAS. n. 21. Cujus officia ut unusquisque unicuique præstet, nec esse est. n. 22. Differentia inter hujusmodi communia officia & beneficia n. 23. in circunstantiis Dantem concernentibus est quærenda. n. 24. Humanitatis causa non requiritur gratitudo. n. 25. Ad humanitatem, beneficentiam, & gratitudinem nemo cogi potest. n. 26. Id tamen alia ex causa sit in humanitate. n. 27. 28. ex alia in beneficentia & gratitudine. n. 29. Amor ne minimam quidem coactionem perferre potest. n. 30. Nonnulla officia modò ad Humanitatem, modò ad Beneficentiam referuntur. n. 31. 32. In quibusnam casibus aliquis extraordinarie vi adhibita cogi possit ad humanitatem. n. 33. 34. (II.) VERACITAS. n. 35. Necesitas promissi inter homines n. 36. & promissa esse servanda. n. 37. Quid proprie vocetur promissum. n. 38. Promissum non est quod alter à me manifesta vi injuste expressit. n. 39. Variæ de eo opiniones earumque refutatio. n. 40—45. Quidnam propræ requiratur, ut ejusmodi promissa servare non tencamur. n. 46. Insigne delictum inter hostem, latronem & rebellem. n. 47. Latronibus etiam extra casum illatae violentiae promissa servare tenemur. n. 48. Etiam Hæreticis promissa sunt servanda n. 49. 50. Quod non est in nostra potestate non cogimur servare. n. 51. Discremen inter virtutes duas haec tenus enumeratas & duas virtutes sequentes. n. 52. (III.) MODESTIA. n. 53. Nulla inæqualitas inter homines tollere potest modestiam. n. 54. Inter Modestiam & Humilitatem magna est differentia. n. 55. Ratio nihil scit de humilitate. n. 56. (IV.) MANSVETUDO. n. 57.

E-



Eius necessitas, communis utilitas ac facilitas. n. 58.
 (V.) PATIENTIA. n. 59. Quomodo ea à quatuor
 prioribus virtutibus secernatur. n. 60. Secundum
 regulas rigorosæ Justiciæ lædens à nobis non potest
 pretendere ut patientia erga eum utamur n. 61. nec
 secundum regulas mansuetudinis, veracitatis & mo-
 destiae. n. 62. Sed secundum regulas amoris ad eam
 prestandam sumus obsticti n. 63. Nec quicquam
 facit ad rem, quod allegatur: Qui vult amari, prius
 amet, n. 64. Hoc enim magis pro nobis est, n. 65.
 præterea patientiam non tam lædenti, quam toti ge-
 neri humano, & nobis ipsis debemus, n. 66. Pri-
 mum enim communis æqualitas naturæ humanæ ad
 eam nos obligat. n. 67. 68. Deinde vulgo equi-
 dem existimant bellum verum esse medium ad ani-
 mi nostri tranquillitatē conservandam & ad pacem
 obtinendam, n. 69. sed hoc oppidò falsum est, per
 ipsam definitionem belli. n. 70. & æque irrationale,
 ac si dicerem, odium esse medium amorem excitan-
 di. n. 71. Si Amor nequit obtinere pacem, longe
 minus id præstabit Bellum. n. 72. Obj. Si recusat
 sponte pacem inire, vi in ordinem redigendus est.
 Atqui ego violentis mediis ipsum ad æquitatem
 compellam. n. 73. Resp. Ratio non potest vi in or-
 dinem cogi. Amor non patitur coactionem. Alter
 lacesitus injurias non sustinet, sed vim vi repellit.
 n. 74. adeoque in dubio est, uter vestrūm vi suā
 prævalebit. n. 75. In quamcunque partem cadat
 viatoria, certe pacem non conficit. n. 76. æque
 ac Monomachi per duella satisfactionem non con-
 seqvuntur. n. 77. Læsus si vincat, qua re certus
 redditur, quod alter acquiesceret? nec ejus promis-
 sum. n. 78. nec timor eum certum reddet, n. 79.
 nec mors n. 80. Sin lædens, Gallicum istud opor-
 tune dictum erit: Patience par force n. 81. Præ-
 stabit ergo dicere posse: Patience par amour n. 82.
 Quare Patientia est unicum illud medium obtinen-



dæ pacis n. 83. dum nullus bello locus est, quamdiu pars læsa alteri bellum non infert. n. 84. Obj. Non est pax, in quā singulis momentis vereri cogor, ne animi mei tranquillitas turbetur, atque à minutis injuriis ascensus fiat ad maximas. n. 85. Resp. n. 86. Privatione facultatum mearum ac ignominia tranquillitas animi turbari nequit. n. 87. 88. Pleraque tamen bella ideo geruntur n. 89. Deinde patientia læsi læsum nunquam incitat, ut offendere pergit. n. 90. sive is generosus sit n. 91. sive ambitionis n. 92. sive avarus, n. 93. sive voluptuosus n. 94. sive crudelis n. 95. sive timidus n. 96. Timidus enim fit crudelis si lædatur. n. 97. Timor & Patientia toto caelo differunt. n. 98. Patiens non tenetur sufferre futuras offenses n. 99. Et sic tutus etiam est adversus homines irrationales, qui ob patientiam suam eum deinceps offendere conantur n. 100. Hæc doctrina de Patientia non solum homines reddit virtuosos, sed & moribus elegantes & politice eruditos n. 101. 102. Ad patientiam nemo cogendus est n. 103. Differentia inter Justiciam & Amorem, n. 104. Humanitas & Patientia sunt præcipuae partes virtutis. n. 105. Quatenus Modestia, Veracitas ac Mansuetudo ad Justiciam & Amorem pertineant. n. 106. 107. Aliae appellationes dictarum 5. Virtutum. n. 108.

1.

Postquam superiori Capite de amore rationali aliorum hominum in genere sufficienter diximus, jam etiam peculiares species amoris hujus rationalis, vel rectius ejus partes essentiales considerabimus.

2. Primum igitur amor rationalis aliorum hominum duplex est: *Universalis & particula-*
ris.



ris. Ille omnes homines, hic aliquos duntaxat concernit. Uterque rationalis est, adeoque necesse est utrumque in unitione voluntatis consistere, & quia omnis amor in æqualitate quadam fundatur, in utroque etiam necesse est æqualitatem animorum præsupponi. Quoniam autem non *equalitas* solum sed & inde orta *unitio* animorum diversæ sunt naturæ diversorumque graduum; insignis etiam inter utrumque hoc amoris genus differentia intercedit.

3. Nam primum sese offert *generalis* quædam *equalitas*, quæ apud omnes homines cujuscunque Status, Ætatis & Nationis deprehenditur. Ac illa quidem æqualitas in *humana natura* consistit, nec ulla dissimilitudine qualicunque tolli potest. Sed *Regem* potentissimum & pauperissimum *mendicum*, *santissimum* hominem, & damnatissimum *hereticum*, *Virum doctissimum*, & *indoctissimum* rusticum conjungit, ac omnino meretur ut quibusnam ex partibus ista conficiatur, dispiciamus.

4. Omnes homines æqualiter *procreantur* & *nascuntur*, sine cibo, potu, vestitu, domicilio *vitam sustentare* non possunt; Superfluum cibi & potius in omnibus æqualiter in *putidum excrementum* abit. Omnes *morbis* sunt obnoxii, ac *mori* ipsi est necesse, omnesque mors æquat. Nam licet alii alijs magis sint imprudentes, & vitiosi tamen omnes *equali aripitidine* prædicti sunt, quæ sapientes & virtuosi evadant; vel reclusi:

L 2 mnes



mnes æque non sunt capaces, ut propriis vi-
ribus ad veram virtutem perveniant. Et sicut
sapientes in sapientiâ suâ limites excedere, vel
hâc exui per morbum possunt, virtuosi vero
multis lapsibus sunt obnoxii; ita insipientes &
flagitiosi sese emendare possunt. Divina pro-
videntia, quam stolidi homines cœcam *fortu-*
nam appellant, cum utrisque eosdem lusus ex-
ercet, ac modo mendicum ad divitias & po-
testatem evehit, modo potentissimum Regem
in extremam paupertatem atque ignominiam
detrudit. Denique omnes homines promi-
scue, quia æqua ratione sub Deo sunt, & ho-
mo omnium miserrimus & vitiosissimus *eundem*
à Deo *amorem* sibi policeri potest, quem ho-
mo summa in dignitate positus; *idem* *jus* a Deo
certo expectare posunt, & coram hoc tribu-
nali necesse est hominum fastuosissimum ob-
minimam vilissimo homuncioni illatam inju-
riam *parem rationem reddere* & *parem panam ex-*
pectare.

5. Adde omnes homines esse *corruptos*, &
hominem miserrimum, ægerrimum, stupidissi-
mum, posse hominem præstantissimum, forti-
ssimum, & callidissimum *maximo danno* affice-
re, si non vi apertâ, tamen astutiâ; & è con-
trario vilissimum hominem potentissimo ac
præclarissimo homini quandoque *summa præ-*
stare posse *officia*.

6. Præter hanc generalem hominum æ-
qualitatem datur adhuc alia *specialis*, quæ non
apud



apud quoscunque homines, sed apud quosdam solummodo reperitur. Ac ea quidem maxime variat, & multorum est generum. Alia enim est *æqua* *alitas* *etatis*, alia *sexus*, alia *Statue*, alia *Facultatum*, alia *Professionis*, alia *nationis*, alia *affectionum*, alia *ingemii*. &c. Nulla tamē harum tam intime in natura fundata est, quam *æqualitas* eorum qui ad veram sapientiam ac virtutem sive ad summum bonum studiose contendunt, vel id actu jam possident, quoniam Deus hominem ad hunc finem condidit, adeoque vera ejus essentia atque natura in eo consistit.

7. Si omnes homines in parte modo dicta sibi essent *æquales*, quales quidem esse decet, nulla esset differentia inter amorem rationalem universalem & particularem, sed totus mundus esset unum cor & una anima, & ita coniunctim summum bonum possiderent. Cum vero manifestum sit, homines hac in parte, proh dolor, esse *dissimilimos*, ac plerosque stultæ sapientiæ deditos esse, animumque in inquietudinem dejicere, paucissimis vero debitum ac justum summi boni studium inesse; necessario differentiam inter *unionem* animorum in amore universalis & particulari oriri oportuit.

8. In *æqualitate universalis*, prout eandem exposuimus, fundatur *amor universalis*, qui omnes homines promiscue eatenus conjungit, ut *æqualiter* *sese* *mutuo* *tractent*, & alter alteri, quicunque is tandem sit, idem *præstet*, quod in simili casu ab altero *expectare* voluisse t.

L 3

9. Ut



9. Uti vero hoc caput totum ostendet, quod dicta animorum similitudo non admodum late pateat, sed insimus sit gradus & qualitatis, & defectus potius odii ac evitatio inquietis animi, quam vera animi quies & amor appellandas sit, cum certa ratione ea & in bestiis apprehendatur; ita quotidiana experientia docet, *specialia equalitatis genera* inter homines longe *arctiore* unionem causari, cuius multo fortiores sint effectus, adeoque titulum amoris hoc respectu magis promererri.

10. Est tamen inter allata particularis & qualitatis genera respectu etiam modorum unionis inde resultantium insignis differentia. *Equalitas etatis, Status, Facultatum, Professionis, Nationis, Ingenii,* nisi cum & qualitate Virtutis ac Sapientiae copulata sit, aut fundatum tantum est *amoris apparentis*, aut &que fundamentum *odii irrationalis*, quam amoris,

11. Circa Sexum notandum est, ejus diversitatem inter in&equalitates esse unicam, quae amori non modo non obest, sed amorem potius excitat, vel in ampliori gradu producit. Non in hominibus solum *irrationaliter* sese amantibus, sed & in hominibus *ratione recte sentibus*; neque enim sola inclinatio uniendorum corporum homini cum bestiis communis id efficit, sed etiam si ab hac mentem abstrahamus, longe major *confidentia, reverentia & misericordia* inter personas diversi sexus, quam inter personas ejusdem sexus per naturalem quen-



quendam instinctum apud plurimos esse solet. Ut adeo inde perspicue intelligatur *equalitatem* quæ fundamentum est amoris, non tam in externis rebus, qualis est sexus, quærendam esse, quam in *interna inclinatione*, quæ naturaliter in utrovis sexu est æqualis.

12. Denique quoad *equalitatem Affectuum*, *Voluptatis* mancipia & *ambitionis* se amant qui-dem apparenter, sed *Avari* neminem amant, & hi vicissim à nemine, ne ab iis quidem qui ipsis similes sunt, quoad speciem amantur. Rationem suo tempore in explicatione affectuum definiemus.

13. Impossibile tamen est, ut inter Voluptuarios atque Ambitiosos amor justus & constans animorumque conjunctio esse queat, sed amor tantum est *larvatus*, qui simulat se quærere personæ dilectæ delectationem, revera autem propriam delectationem comparare studet, adeoque alter alterum decipere annititur.

14. Contrà impossibile est, ne *equalitas studii virtutis constantem* gignat *amorem*, cum eò impellat homines, ut utrobique alternis vicibus certatim alter alterum rationaliter delebet, id quod est vera animæ unitio, adeoque hæc æqualitas unice est fundamentum amoris particularis, impossibile est enim homines *virtutis studiosos* se mutuo odisse. Ita ut, si adebet hæc æqualitas, cæteri inæqualitatis modi; ut ætatis, status, facultatum, professionis, nationis, ingenii atque affectuum veram & infucatam amicitiam

L 4 nor.



non impediant, et si non negandum est, similitudinem affectuum apud homines virtutis amantes amicitiam fortiorum reddere magisque confidentem.

15. Itaque animorum unitio in amore particulari, quatenus is ab amore universalis distinctus est, in eo consistit, quod in hoc conatur alter alteri benefacere, cum in illo tantum solicii simus, ne quis alterum ledadat, iterumque discrimen inter amorem particularem verum & fucatum in eo versatur, quod in vero amore vera sint beneficia, in fucato beneficia fucata, id quod inferius suo tempore fusius exponemus.

16. Operae pretium tamen erit in amore quoque universalis inter amorem verum & fictum distinguere. Homo imprudens omnibus promiscue hominibus ne apparenter quidem ulla ratione benefacit, quia ab omnibus commoda sibi exhibenda non expectat, vel quia deprehendit quoscunque homines sibi non congruere, ob diversissimam inæqualitatem. Sapiens vero qui sua commoda non querit ex aliis, ipse quidem paratus esset, ut omnibus beneficeret, omnibusque rite uniatur, modo ejus amor accipiatur, nec repudietur, nec loco verorum beneficiorum inania ab ipso expescantur.

17. Quamvis autem Amor rationalis particularis multis ex rationibus amecellat amorem universalem, nam & hunc vere reddit perfectum, & veram animi tranquillitatem gignit, id

id quod homini in amore universalis reperire non licet. Tamen certo modo amor *universalis norma amoris particularis* dici potest, quatenus hic illi adversari non debet, dum universalis amor via quasi est ad particularem, & qui alios homines odit, inidoneus est, ut alios amet, quia odium vel unici hominis naturae humanae adversatur, quandoquidem *nulla unquam inaequalitas humani generis per naturam suam tantum valet efficere, ut ideo homo alter alterum odio habeat.*

18. Ac particularis quidem amicitia animos atque voluntatem arctissime copulat, unumque cor & unam animam e duobus corporibus efficit; atque inde quoque videtur necesse esse, ut *cum amico meo ejus quoque amicos atque inimicos communes habeam, sed nondum inde sequitur, ut alios homines me odisse oporteat.* Potest enim amicus meus habere inimicos, sed ideo ipsi non licet ullius hominis inimicum esse, quoniam, ut mox pluribus ostenderimus, ipsum oportet inimicos suos patientia superare.

19. Occinis; Error vero ac *Vitia* certe non parerent tantam inaequalitatem, ut homo sapiens & virtutis studiosus homines flagitosos ac errantes odio habeat? Nequaquam vero. Iam oblitus es quod diximus, aequalitatem naturae humanae, in qua fundatur amor universalis, nulla inaequalitate tolli posse? Num oblitus es vulgati adagii? Esto inimicus vitii, ami-

L 5 cus



cus vitii, amicus personæ. Vir sapiens non irascitur errantibus, ac flagitiosis, sed eorum potius miseretur, doletque si videt, quod summum malum sibi accumulent.

20. Iam amore particulari reservato in tempus oportunum, parumque seposito, *amorem universalem* paullo accuratius expendemus. Is autem quinque potissimum virtutes complectentur: *Humanitatem*, *Veracitatem*, *Modestiam*, *Mansuetudinem*, *Patientiam*. Singulæ cum reliquæ in eo concordant, quod in comuni hominis natura fundantur, ac exhiberi quibuscunque hominibus debeant, uti à quibuscunque vicissim expectantur. Singulæ item magis in eo consistunt, ne cui male faciamus, aut grave aliquid alteri præstemus, quam in exhibitione amoris benefici.

21. *Humanitas* est virtus impellens hominem ut quibuscunque hominibus eo officio indigentibus, ejusmodi rebus, quos non magni estimat, vel quarum communicatio non magnum ipsi laborem creat, commonet, & gratificetur. E. c. Si concedo, ut alter de candela mea candelam suam accendat, è puto meo aquam hauriat, in horto meo deambulet, si librum meum alteri mutuo do, erranti viam ostendo, si de abundantia mea minutæ eleemosynas erogo. &c.

22. Horum singulorum ea ratio est, ut quilibet homo, quantacunque sit potentia, virtute, sapientia, divitiis, insdem, vel certe eorum aliquibus opus habeat; Et quamvis certum sit, quod isthæc ab omnibus non posset,

nec



nec omnes homines ea ab ipso poscent, ne-
scit tamen, quinam deinceps futuri sint hi,
quorum in hac necessitate vel ipse opus habi-
turus sit auxilio; vel qui ejus auxilio opus habi-
turi sint. Potest enim *miserissimus mendicus*, vel
bomo qui jam vivit in Iaponia, post aliquot an-
nos huc venire, mihiique ejusmodi officium
exhibere. Atque inde æqualitas humanæ in-
digentiae exposcit, ut unusquisque unicuique
istiusmodi officiis gratificetur.

23. Ea vero officia absolute considerata,
ita comparata sunt, (cum in ejusmodi rebus
consistant; quas non magni æstimamus, vel
quæ absque labore alteri tribuimus) ut *nec eo-*
rūm exhibito pro beneficiis vel officiis amoris ven-
ditari queat, qui ea alteri negat, & si non ut
injustus & poena dignus incusabitur, certe durus
& immisericors habebitur.

24. Itaque differentia inter *communia*,
hæc officia, & *beneficia* non in magnitudine,
vel exilitate fructus consistit, quem is in-
de capit, cui ea exhibentur, sed in solis
circumstantiis dantem concernentibus, an is
ea cum molestia præstet, nec ne. Ita, si quis ho-
minem à fluctibus maris in littus ejectum, ca-
pite deorsum inclinato pedibus *sursum vertat*,
ut aqua ab ipso effluere queat, ac ipse ad usum
mentis redire; id non est *beneficium*, etsi homi-
nis vita hoc ipso conservatur. Sed si quis cum
vitæ suæ periculo in *aquam sese conjiciat*, ut al-
terum eripiat, id merito *beneficiis accensetur.*

Rur-



Rursum si posse habitis necessariis negotiis meis errantiviam ostendo, vel si pauper aliquis alteri vel teruncium dat loco eleemosynæ, id non vulgare est officium humanitatis, sed beneficium.

25. Cæterum inde aliud fluit discrimen, ut quemadmodum in amore particulari ex beneficiorum præstatione apud eum, in quem ea conferuntur beneficia, alia virtus, nimirum. *Gratitudo* oritur; ita ob præstationem communium officiorum humanitatis ab altero *Gratitudo* posci nequeat, idque eandem ob causam, quod absque labore ea præstimus.

26. In eo vero officia humanitatis cum beneficiis convenient, quod nec ad hæc nec ad illa, pariter ac ad gratitudinem, nemo cogi soleat. Imo licet aliquis ad *Humanitatem*, *Beneficentiam* ac *Gratitudinem* cogatur (sicut certo modo in societatibus, quarum aliquis est præfetus, is subditos suos ad præstationem harum virtutum pre re nata & varietate circumstantiarum cogere potest) tamen præstatio coactione genita, eam ipsam, ob rationem, quia non spontanea voluntate, sed coacte fit, nomen Humanitatis, Beneficentiae ac Gratitudinis amissura esset.

27. Nec diffitendum tamen hic est, *causas* ob quas secundum duætum sanæ rationis nemo ad dictarum trium virtutum unam cogi potest, distinctas esse, adeoque insignem differenciam cum inter *Humanitatem*, tum inter *Beneficentiam*



ficieniam, eique correspondentem *Gratitudinem* merito esse observandam.

28. Ac de *Humanitate* quidem supra diximus, amorem universalem defectum potius odii, quam verum amorem appellandum esse. Cum enim nulla in re alia, nisi in vilibus & vulgaribus officiis consistat, quæ absque insigni labore, ac detrimento bonorum nostrorum, præstari possunt, & in communæ æqualitate naturæ humanæ fundantur, ac à quibuscunque hominibus expectari possunt; *equalitas* ista & *vilitas officiorum* intuitu Dantis poposcit, ut ad ea præstanta nemo cogatur, ut universalis hic amor èò magis per hoc intelligatur, & in aliis similiter accendatur, si pudori aliorum hominum soli officia humanitatis committerentur. Imo ipsa hæc naturæ humanæ æqualitas enormiter læderetur, si unicus homo ad ejusmodi officia cogeretur. Indifferenter sane ea a quibuscunque hominibus expectantur, omnes enim per naturam humanam ad eorum præstationem obligantur. Iam si quis unum hominem è toto genere humano pro luctu sibi vellet eligere, à quo potissimum hæc officia exposceret, ab eoque hanc humanitatem sine peculiari promissione, vel causa speciali, coactione obtineret, certe is hoc conatu eum hominem è statu æqualitatis palam detruderet, eumque reliquis hominibus inæqualem redderet.

29. Sed in *Beneficentia* & *Gratitudine* natura veri amoris, ad quem & hæ referuntur, clare



ac perspicue ostendit, et si is eos duntaxat respiciat, qui in hoc statu corrupto aliis inæquales sunt, & una cum amantibus ad veram animi tranquillitatem adspirant, & hac ratione æqualitas s. præcedenti allata huc referri nequeat; tamen & hic coactionem admitti non posse, cum *impossibile sit ibi ullum adesse amorem*, *ubi vel minima adest coactio*.

30. Quod si hæc thesis cuidam paradoxa, vel dubia videatur, is ad experientiam animi sui parum redeat. Is si aliquando amavit, ac in amore suo in minimo saltē gradu misericordiam aliquam deprehendit, fatebitur *viliissima amoris officia magnam apud se delectationem excitasse*, quando cognovit, ex *animo bono ea esse profecta*, cum *exquisitissima etiam amoris testimonia nauseam ipsi magis quam delectationem creârint*, postquam animadvertis *privatis usibus ejus*, qui ipsi ea præstítit, intenta fuisse, magis autem ea averflare tur officia, si videret ea *invita*, vel *coacta* sibi præstita fuisse, de quo infra occasio forte dabitur prolixius dicendi.

31. Sed & aliam adhuc *diáσκεψιν* eò commodius differemus. Dari nempe *certa officia*, quæ pro diversitate circumstantiarum modo ad *officia humanitatis*, modo ad *beneficia* reduci possunt, prout ea nimirum vel fiunt absque tædio ac labore ejus à quo præstantur, vel cum tædio & labore conjuncta sunt.

32. Referuntur huc nonnullæ quæstiones à Ictis passim agitatæ. An pro denegatione offi-

officiorum humanitatis habendum sit, si quis alteri (1) liberum transitum per territorium suum (2) transitum mercium alienarum, (3) immunitatem à consuetis vechigalibus, (4) accessionem ad littus, (5) hospitium peregrinorum, (6) plenariam receptionem sedibus suis calamitate expulsorum (7) commerciorum communionem, demum (8) admissionem ad matrimonia negat, de quibus controversiis alibi sententiam nostram plenius exposuimus.

33. Iam hoc tantum adhuc monebimus, dari nihilominus posse ejusmodi casus, licet ad modum raros, quibus aliquis *coactione* eo compelli potest, ut officia humanitatis aliis præstet, si nimis sequentes adsunt circumstantiæ. (1.) Si alterius *necessitas tanta* est, ut absque præstatione hujus humanitatis ipsi pereundum sit. (2) Si eam à nemine æque ac à nobis ipsi expectare licet, (3) Si ipsi non hæremus in pari *necessitate*.

34. E. g. Si duo homines solo humanitatis vinculo sese attingentes in regionem desertam per naufragium ejiciantur, & horum alter tantum ex bonis suis è naufragio repeatat, quo & suam & alterius vitam sustentare possit.

35. Iam ad *Veritatem*, alteram ex Virtutibus ex amore universaligenitatis, digrediamur. Veritatem hic definio Virtutem, *qua obligamur ad promissa quibuscunque hominibus factas fideliter servanda*.

36. Ac facile quidem intelligitur, genus humanum sine hac virtute, & sine promissione

ne quam ea præsupponit, communem animi tranquillitatem obtinere non potuisse, cum Humanitas & inde promanantia officia sola non sufficiant, ut omnia ea quibus indigemus, eius ope nobis in vicem ministrare queamus, quia cum conditio ejus à quo aliquid postulatur, sëpe ita comparata est, ut vel rei ipsius, vel officii, vel pretii à se postulati ipse indigeat, vel ut officium mox præstare nequeat, tum conditio accipientis ea est, ut rem ab altero postulatam gratis commode accipere nequeat, vel quia res postulata nimis est pretiosa, quam ut pro nudo officio humanitatis expeti possit. Taceo quod semel exorta controversia ea aliter nisi reciproca promissione componi, & pax iterum stabiliiri non possit.

37. Cum igitur pactorum omnium finis sit, ut quis alterum sibi perfecte obliget, quem alias, ut diximus, ex officiis humanitatis imperfecte & absque iusta coactione obligatum habebat, natura etiam hominis ita comparata sit, ut ordinarie omnes homines apti sint ut cum quibusvis hominibus pæcta ineant; manifestum est communem tranquillitatem, & aquilitatem generis humani postulare, ut fides data in pactis servetur.

38. Ut autem sua sponte intelligitur, fidem servandam frustra à quoquam exigi, ubi nulla antecessit promissio; ita jam non est nostri instituti prolixe exquirere, quidnam ad naturam pæcti propriæ requiratur, id quod ad Jurispruden-

dentiam magis quam ad Ethicam pertinet, cum supra etiam monuerimus, quod amor iste, de quo hic potissimum loquimur, latius se-
se porrigit, quam rigorosæ regulæ Iustitiae, de-
nique, ut alias explicite demonstravimus, circa
Iustitiam accurate distinguendum sit, inter id
quod Ius naturæ, & id quod leges hominum
positivæ particulares ad paœla requirant. Con-
sentaneum tamen est Pactum ad Veracitatem
pertinens esse duorum in idem placetum de dando
aliquo vel faciendo quod in sua potestate est, con-
sensum.

39. Ita vero perspicuum est, hoc non di-
cipuisse fidem violatam, si quis alteri, qui vi ma-
feste injustâ promissionem extorxit, præstationem
ejus quod ea ratione promiserat, denegat,
quamvis hic eruditæ in diversissimas ac contra-
rias sententias abeuntes, magnopere contro-
vertant.

40. Ac clarissimus quidem Hugo Grotius
statuit, quod ex ejusmodi promisso pars pro-
mittens obligetur promissum servare, quia me-
tus ipsi incussus non prohibeat, quin dici pos-
sit sciens volensque promisso, contra verò
violentum invasorem teneri ad restituendam
oppreso rem vi extortam, cum enim vi facta
graviter eum læserit, merito obstringi ad satis-
factionem læso præstandam. A qua sententia
Ius Romanum parum admodum abit, ex eodem
fere fundamento concedens ei, qui metum in-

M

tu-



tulerat, actionem, sed vim passio etiam exceptionem, qua elidere eam actionem queat.

41. Rursus alii, ut olim *Cicero*, & post eum *illustris Dominus de Pufendorf* opinantur hoc casu vi compulsum ad promittendum, non obligari ad servandum promissum, partim quod in pacis non solum intuendum sit, an quis sciens volensque promiserit, sed etiam an alteri, cum quo ille pactus est, promissum ex jure naturae accipere liceat, partim quod obligatio promittentis (si omnino obligatio in hoc casu nascatur) debito alterius, quo obstrictus est laeso pro illata injuria satisfacere, quasi compensetur atque tollatur.

42. Contra hanc opinionem *Vir aliquis eruditus nostri aevi* in libello de obligatione quæ ex sermone oritur, tertiam propugnare contendit. Hominem nimirum omnino hic adstringi ad promissum vi extortum servandum, ac eum quidem qui vim intulit, injuste fecisse, vim inferendo, eo tamen non prohibitum promissum acceptare, atque inde ius ipsi enatum, promissa persequendi. Nec locum hic esse Compensationi, cum presumendum sit, promittentem ipsa promissione simul tacite renunciassè juri quod habuerit ad rem vi extordam repetendam, vel ad satisfactionem urgendam.

43. In his tot eruditorum controversiis *primesententiae vanitas* manifeste apparet, mera enim & inutilis esset subtilitas, si dicerem, latro-

ni
illig
secu
cui
etsi
ne
hab
nei

Ma
ac
gisl
med
Qui
rita
infe
velli
lenc
pre
gref

terti
dum
etia
jus
exif
ne
caſſa
non
circ
quo



ni de jure licere rem promissam exposcere, sed illico eam oppresso reddere oportere. Deinde secundum *Jus Romanum* hæc differentia, an aliqui actionem nullam instituere liceat, an vero, et si actio ei concessa fuerit, ea à reo exceptione sufficienti elidatur, nullam aliam utilitatem habuit, nisi ut officia prætoris & judicis pedanei eā discernerentur.

44. Inter reliquas vero duas *arridet media*. Manifestum est enim, quod omnis obligatio ac omne debitum originaliter è voluntate Legislatoris pendeat, adeoque promissio quoque medium tantum sit per quod lex nos obligat. Quis autem dicere ausit Deum, qui tanta severitate prohibet, ne quis alteri vim vel injuriam inferat, violento invasori ullam concedere, velle potestatem ex hujusmodi promissio violento jus quoddam acquirendi & partem oppressam in gratiam oppressoris, legem transgressi velle obligare?

45. Jam in promptu est *responsio ad rationes tertiae opinionis*. Nam si oppressor injuste agit, dum alterum ad promittendum cogit, injuste etiam agit si hoc promissum acceptat, ac inde ius sibi acquirere conatur. Deinde neutiquam existimandum est, oppressum ipsa promissione ab omni juris sui compensatione fese abdicasse, cùm quod renunciationes juris alioqui non facile præsumuntur, ac non adest hic ulla circumstantia, unde id possit concludi, tum quod ex allata ratione oppressori hanc renun-



ciationem (et si hæc expresse facta foret) & que non licet accipere, quam ipsum promissum.

46. Ut tamen eo melius intelligatur nervus sententiæ nostræ, requirimus (1) ut certum sit eum qui metum incusfit, *non habuisse jus*, id faciendi. (2) ut sit metus periculi magni presentis, & quod cadit in virum constantem, quodque aliter nisi per promissum evitare comode non potest. (3) Ut promissum metu initum, cessante metu *non sit ratihabitum*, vel per verba expressa, vel per facta consensum subsequentem inferentia.

47. Quibus ita positis pater accurate distinguendum esse, num *hosti*, qui in bello nos vicit, an *latroni* metu vitae amittendæ aliquid promiserimus, item ne *perduellam* quidem, qui Principi suo paetum extorsit, cum latrone comparari posse, quod alibi exposuimus.

48. Imo præterea tres conditiones ostendunt, certa ratione ne *predones* quidem ab usu fructu virtutis hujus universalis (Veracitatis) excludi, si nimirum cum ipsis contrahas absque vi, vel vi cessante. Neque enim ab hoc amore universali, ut saepe diximus, quisquam excludi poreft.

49. Atque inde doctrina isthæc plane irrationalis est, omnisque amoris expers, quæ contendit his qui inter Christianos falsam de DEO rebusque divinis opinionem fovent, qui *Hæretici vulgo appellantur*, fidem non esse servandam. Nam hoc ipso vinculum



lum humanæ societatis maxime necessarium pene in universum tollitur. Quod si hæreticis ideo fides servanda non est, quia erroneam de DEO opinionem habent, cum Scripturam tamen pro verbo DEI agnoscant; minus adhuc Iudæis & Ethnicis ob eandem rationem fides esset servanda, quia similiter falsas sententias de Deo fovent, Scripturam vero vel plane pro verbo Dei non agnoscunt, vel eam integrum non amplectuntur. Ita vero fides & pacta tantum valerent inter homines ejusdem religionis, imo ne inter hos quidem, cum nulla Secta in eaque nulla provincia, imo nulla fere urbs detur, in qua non literati ejusdem sectæ, qui ab aliis ejusdem sectæ literatis ultimis his rixosis temporibus in doctrina de rebus divinis recedunt, adversariis suis hæresecos crimen affingant, eosque tanquam pestilentissimis erroribus immersos proclaiment.

50. Deinde Veracitas in communi hominum natura fundatur, quæ ut supra docuimus, apud quosunque homines, diversissimas licet de quibusunque rebus sententias foveant, æqualis est, adeoque æqualem obligationem operatur. Adde quod, uti non possumus esse certi, hæreticorum communia humanitatis officia nunquam nobis opus fore, ita æque hæreticis carere non possumus, ne eorum promissiones accipiamus. Et ut nos hæreticorum fide nobis servata deletamur; ita ingens inde sequetur inæqualitas, si illis vicissim promissa nostra

M 3

non



non servaremus. Valde etiam à sana ratione abhorreret, si prætenderemus, miseram conditionem alterius, qui hæreticus est, nos detinere, quin promissa impleamus, cum eadem misera conditio nos ante non detinuerit, ne promissum ab hæretico acciperemus, vel ipsi aliquid promitteremus.

51. Denique dum supra monuimus Veracitati tum demum locum esse, si qua promissimus, quæ sunt *in nostris viribus*, facile intelligitur duo hic requiri, primum ne res *vires nostras naturales* supereret, secundo ne ea nobis *per leges* sit prohibita. Adeoque non possumus nos obligare ad servanda (1) Impossibilia (2) Prohibita, nedum de aliorum (3) Rebus, vel (4) Actionibus quicquam promittere, sicut ob eandem causam nec super actionibus aut rebus nostris circa quas alteri jam fuit jus quæsumum, valide pacisci possumus, id quod cum passim à ICtis, tum à nobis alibi jam luculenter est explicatum,

52. *Humanitas* atque *Veracitas*, de quibus haetenus egimus, impellunt hominem ut aliis *idem præstet* quod ab ipsis expectat, sequentes vero duæ virtutes, *Modestia* videlicet ac *Mansuetudo* hominem commonefaciunt, ut omnes actiones omittat è quibus aliqua oriri posset, *inaequalitas*, nimirum ne vel *plus* sibi arroget, quam par est, quo eum remittit *Modestia*, vel alteri in rebus ipsi propriis ulla ratione *incommodet*, id quod pōscit *Mansuetudo*.

53. *Mo-*



53. *Modestia* est Virtus impellens hominem, ut quoscunque homines cuiuscunque status, comiter & us homines, sibi haec tenus aequales tractet, ad communem usum ejusdem juris secum admittat, nec plus sibi arroget, quam ipsi jure debetur.

54. Etsi enim introducta inter homines differentia statuum ac facultatum, una cum discrimine intellectus & voluntatis, magnæ causa sit inæqualitatis, tamen ea non tollitur per Modestiam, dum Vir sapiens inconstantiam fortis humanae expendit, quod vir honoratus, opulentus, sanus ac eruditus mox fieri possit despectus, pauper, ægrotus & mente captus, contraria homo in misero hoc statu vivens in felicem illum rursus elevari queat, errorum etiam & lapsuum flagitiosorum, à se ante commissorum, & in quos ruere denuo potest recordatur, ab altero vero expectat, ut aequa ac ipse sese emendet. Hæc animo suo volvens eo compellitur, ut nemini se preferat, sed omnes homines suo arbitrio aequa ut ipse uti vel non uti posse existimet. Solus enim usus liberi arbitrii est, quem peculiū suum homo existimare queat, & prout eius usus vel rationalis est vel irrationalis, seipsum vel magnificiendi, vel vilipendendi rationes habeat.

55. Non confundenda est tamen *Modestia* cum *Humilitate*. Ambæ equidem in eo convenient, quod hominem incitant, ne se aliis præferat hominibus; sed hocc discrepat, quod *Modestia* hominem eo deducat, ut alios homi-

M 4 nes



nes tanquam sibi æquales contempletur, aut vel maxime eos ob introductam ab hominibus differentiam externa reverentia colat, quasi se ipsis inferiorem putaret; Sed *Humilitas* eo hominem adigit, ut intrinsecus etiam se minorem aliis existimet, atque hanc sui ipsius exinanitionem ubique, data occasione, actionibus externis animoque suo correspondentibus testetur.

56. Unde porro consequitur, *ratiōnēm humanām* per se longius non progredi, quam quoisque Modestia hominem obstringit. De *Humilitate* vero *nil solidi potest intelligere*, cum apud se causam nullam inveniat, cur homo se minorem altero existimare debeat, sed hujus virtutis cognitio sublimiori relinquitur eruditioni, quæ non homines sed Christianos facit, & licet Philosophus multum de humilitate garriat, tamen id tantum est hujusmodi, ac si naturali modestiæ nomen humilitatis tribueret.

57. *Mansuetudo* est Virtus hominem adicens ut quibuscumque hominibus sua in pace fruenda relinquat, neque eorum bona tam corporis quam fortune incommodet, vel his eos ullo modo privet; Aut si omnino quid ea in re vel ex propofito, vel ex ignorantia peccatum sit, rem una cum damno quocunque causato resarciat, vel aliter integrè alteri satisfaciat.

58. Est autem hæc virtus summe necessaria, cum ejus violatio communem pacem ac tranquillitatem maximè turbet, paucissimi enim mortalium æquo animo patiuntur, si quis eis

ra-



rapiat, quod eorum est, et si aliqui ad iram non commoventur, si officia humanitatis ipsis degenerantur, vel pacta non serventur, vel si quis ipsis alto supercilium despiciat; Cæterum *omnes* attingit *homines*, nemo enim est, de quo ulla solida ratione prætendere possim, quod ei bona sua auferre aut corrumpere mihi liceat, nisi ea quodammodo mea sint. Denique & *facilis* est, nec opera impensa que mea conficitur, quoniam in ejus exercitio magnus labor non requiritur, dum magis consistit in eo, ut nihil faciam, quam ut aliquid faciam.

59. Sola jam restat *Patientia*. Estque virtus *homines* eo deducens, ut aliis qui amorem universalem non observarunt, sed aduersus quatuor dictas virtutes vel ex proposito, vel ex ignorantia impegerunt, offensionem suam jubente amore universali condonent, adeoque & juribus secundum legem naturali concessis publice quietis causa volentes renuncient.

60. Vides igitur statim *Patientiam* à prioribus quatuor virtutibus in eo dispare, ut illæ hominem instituant, quemadmodum se erga hos qui communem sibi amorem præstiterunt, vel certè hunc ipsi nō subduxerunt, gerere debeat. *Hæc* eum admonet, quid ipsi apud eos, qui quatuor dictas virtutes non observarunt, agendum sit.

61. Evidem si juxta regulas strictæ *Justiciae* pronunciare velimus, sana ratio ostendit, quod is qui priores 4. virtutes erga nos non exercet, non possit nos jure accusare, qua si ipsis fiat injuria,



ria, si ei vicissim humanitatem, veracitatem, modestiam & mansuetudinem non exhibeamus. Nam quo jure is prætendat ut alii hoc sibi præstent, quod ipse aliis denegat, præser-tim cum dictæ quatuor virtutes in æqualitate humanæ naturæ fundentur, adeoque inæqualitas introduceretur, si impii jus quoddam irrationaliter sibi arrogarent, alios lædendi, & hos deinceps, eo remitterent, non esse pari repondendum.

62. Deinde & ea, quæ de *Mansuetudine* seorsim monuimus, (quod is, qui damnum alteri inflixit, obligetur ad damnum resarcendum) ostendunt non posse eum à læso patientiam, jure sibi debito postulare, eo quod debitum damnum resaciendi irritum foret, si alter jure compelleretur ad præstandam patientiam. Idem pronunciari potest de his qui *promissis* non steterunt, & erga alios in aliquanto gradu *immodesti* fuerunt, eosque contumelia affecerunt. Cum enim & hic Veracitas atque Modestia hominem obstringant ad satisfaciendum læsis, non potest ab eis jure suo patientiam exposcere.

63. Atque id ipsum est, quod supra diximus magnum esse discrimen inter *Justiciam* atque *Amorem*, adeoque hic habemus exemplum memorabile, posse nos ad aliquid Amore obligari, ad quod non possumus Jure compelli, nec semper fieri secundum rationem, si quis velit esse nimis justus, vel jure suo strictius utatur.

64. Agno-



64. Agnosco equidem vetus adagium: *Si vis amari, ama.* Atque sic primo quidem intuitu etiam secundum regulas amoris videtur is qui nos non amat, sed odio ac injuriis nos persequitur, à nobis non posse prætendere, ut amo-ri delictum ejus condonemus, eumque patienter feramus. Sed re accuratius exploratâ facile videbimus, neque adagium hoc nobis obstat.

65. Nam & *in nostram sententiam* id eodem jure possumus allegare. Ideo nimirum oportet nos esse patientes, ut deinceps etiam ab his qui nos læserunt diligamur, si incipimus per patientiam amorem nostrum eis declarare, vel per eandem tanquam rarissimum argumentum de constantia nostra in amore certos eos facere.

66. Nec sequitur: *Hic amore meo se fecit indignum, ergo non sum obligatus ut eum amem.* Concedo hoc argumentum in *amore partiulari* quodammodo usurpari posse, quamvis & hinc non vacet multis exceptionibus. Sed in *amore universalis* non valebit. Nam in hoc omnino id quod homini *respectu sui ipsius* non debemus, agnoscere possumus nos ei debere *respectu obligationis nostræ erga totū genus humānum*, cuius is membrū est, vel *respectu nostri*, quod alias, si pro merito eum tractaremus, tranquillitatem animi nostri magis turbaremus quam promoveremus, adeoque summum bonum nostrum ipsi impediremus.

67. O-



67. Ostendendum igitur est, *communem*, *humanigenoris aequalitatem* Patientiam hanc à nobis requirere, item nos absque eâ *animi nostri tranquillitatem* non possè conservare.

68. Ac illud quidem facilissimum est, dum conscientia nostra nobis significabit, quod quotidie, si actiones nostras accurate examinare volumus, aliis hominibus, partim ex ignorantia, partim studio id quod per quatuor dietas virtutes ipsis debuimus, perfecte non præstiterimus, eosque sèpius offenderimus. Jam quemadmodum ipsi optamus id nobis codonari, nec strictum jus adversus nos urgeri; ita aequalitas humanæ naturæ poscit, ut injurias ab aliis nobis exhibitas pari patientiâ toleremus. &c.

69. Hoc vero paullo videtur difficultius, omnibus fere eruditis *communi* hoc *errore* occupatis, quasi violentia *juris nostri* persecutio sit *justum medium* obtinendæ *tranquillitatis animi* *adversus ejus turbatores*, eosque ad pacem cogendi; Hinc tritum est frequentatum adagium: *Pacem diutius colinon posse*, quam id permittat vicinus. Bellum esse medium extraordinarium comparandæ pacis. Justi belli non alium esse finem, quam pacem. Quamdiu pacem habere possimus, eam acceptandam, sin minus, bello expediendum negotium. Præstare bellum paci minus tutæ. &c. Nos vero contrarium obtinere volumus: *Sola parientia pacem tutissime comparari?* Magnum certe quid au-



audemus, demonstrare enim cogimur, non solum bellum non esse medium rationale obtinendæ pacis, sed & facilime pacem obtineri, si omnia toleramus. Utrumque eruditis nostris irrationalē videtur.

70. Sed hoc non curamus, modo ipsa Ratio pro nobis militet. Ea statim nobis ostendet, bellum nil minus esse quām medium obtinendæ pacis. Impossibile enim est hīc bellum, isthie vero pacem esse, adeoque bellum nil aliud est, nisi ejusmodi status duarum partium, in quo amba loco charitatis, odium & inimicitias sibi mutuo exhibent.

71. Äque ergo absurdum est, velle evincere, bellum esse medium procurandæ pacis, ac si quis dicat, odium esse medium ordinarium, vel extraordinarium amoris consequendi.

72. Si alterum humanitate, veracitate, modestia & mansuetudine nequivisti ad amorem commovere, cum amor amorem gignat, hoc longe minus immodestia, vi & immanitate efficies.

73. Objicis. Si alter ab injuriis non abstinet, eò compellendus est, quia eum bello ad pacem colendam cogo, adeoque vi in ordinem redigo. Quæso te noli tam imprudenter blaterare. Fere enim tot absurda prodidisti, quod vocabula dixisti.

74. Primum enim Ratio vi labefactari quidem, nunquam autem restitui potest. Deinde manifestum est, absque amore veram aliquam

pacem non posse iniri, sed eiusmodi conditionem,
quæ vocatur armistitium. Amor vero ne mi-
nimam quidem coactionem patitur. Denique
quibus rationibus tibi persuasisti homuncio,
te posse hostem tuum cogere ad colendam pacem.
Oro te quo medio id conficies? Vi fortasse?
Sed num is à te lacesitus acquiescit? an vim vi
repellit?

75. Oggeris. Utique vim vi repellit, sed in-
iusta. Lepidè dictum. Quasi vero in bello lo-
cus sit hosti de jure aliquid occinendi. Quod
si eum à malo proposito atque injuriâ suâ di-
movere non potuisti, amorem & patientiam
ei exhibens, nunquam inde abstrahes vi ad-
versus eum usus. Jamque contentus sum,
quod fateris, vi reciprocâ eum uti adversus te.
Ultra autem vis, tuane an illius, prævalet & pacem
extorquet?

76. Video te parum commoveri, mox ta-
mente colligis, nec semper partem læsam ais
prævalere, sed sæpius lædentem. Sed quic-
quid sit, & cuicunque parti omnino cedat victoria,
sufficere tamen, quod bellum & subsequens victoria
pacem efficiat.

77. Enimvero æque mihi videris irrationa-
lis ac Monomachi. Hujusmodi homo ab alio se
offensem putans animo quieto esse non potest,
donec ab altero ipsi fuerit satisfactum. At
dum satisfactionem querit, gravius adhuc
priori injuriâ ab altero offenditur. Qua per-
pepsâ antagonistæ reconciliatus nihilominus
sibi



sibi videtur ab altero satisfactionem obtinuisse. Ita faceta est phantasia, si mihi persuadeam, me posse alterum per bellum ad honestam pacem adigere, cum hoc ipso adversario occasionem præbeam, ut pacis conditionibus ab ipso mihi præscriptis in statum magis irrationalem priori, bello nondum cœpto me detrudat. Adde quod æque ridiculum sit, quod ais, *victoriam cum lædentis, tum Læsi pacem efficere.*

78. Esto, ut *Iesus reportet victoriam; At victoria nondum est pax*, dum viator & victus adhuc sunt inimici. Opponis. Oportet victum pacem colere. Novum portentum. Pax coacta non est pax, æque ut amor coactionem, non admittit. Quæso te quo *indicio certus* esse potes, quod victus pacis conditiones observaturus fit? Fortè ejus *promissum?* At hāc ipsa de causa cum eo bellum occœpisti, quod promissa tibi non servaverit, vel simile quid è regula amoris universalis derivatum tibi non præstiterit, cum omnia amoris officia ipsi exhibueris, & tibi persuades futurum, ut promissum ab ipso violenter extortum eum detineat, ne te amplius lædat?

79. At *metu fortasse eorum quæ jam est* expertus ab ulteriori injuriâ abstinebit? Sed ubi istiusmodi *metus est, amor nullus esse potest, & qui te metuit, hunc te vicissim metuere necessum est.* Plures mancipiorum suorum insidiis, quam aperta Regum tyrannide occubuerunt, *Tempora subinde mutantur, & facile continget,*

ut

ut hâc mutatione ipse metum exuat; Porro
exitus belli est incertus, eaque incertitudo in-
 altero, æquè spem ac metum excitare potest;
 præfertim cum uterque affectus sœpius ex iis-
 dem causis proveniat.

80. Istud vero malum facile tolli potest,
 oggeris. Nam cum video quod certus esse
 non possim de fide vieti, tum certitudinem
eius morte mihi paro. Necessum igitur erit,
 ut semper eam hac ratione quæras, cum vis aliam
 certitudinem tibi datura non sit. Itaque nil
 aliud tibi agendum erit, nisi ut cogites, quem
 admodum *humanum genus è medio tollas*, cum
 nulla dies sit præteritura, qua non alter te vel
 ex proposito, vel præter voluntatem offendet.
 Ita vero dicere non potes, victoriâ tuâ *pacem te*
 posse extorquere; cum *mortuis enim nec bellum* tibi,
est nec pax. Et cum *ceteris viventibus*
 jam ante pacem habebas. Imo cruenta hæc
 tua victoria fortasse alios viventes excitare pot-
 est, ut novo bello te impetant, quo mortem
 agnati vel amici ulciscantur.

81. *Quodsi ledendi cedat victoria?* & vitam
 tuam ab ipso emendicare cogaris, vel is con-
 ditiones tibi proponat magis inglorias ac intol-
 erabiles, quam priores erant injuriæ, quarum
 causa bellum cœpisti? ut taceam, si ex diffiden-
 tia te prorsus interimat? Adhuc ita insanis ut
 glorieris, *bellum esse medium ledentem in ordinem*
redigendi? Nil certe tibi superesse videtur,
 quam ut humeros contrahas & ad brocardica-

re-



refugias: *Non putaram. Patience par force.* (i.e., Patientia violenta.)

82. Bene. Vides ergo rebus ita comparatis non alterius *violoriae*, sed *extortatua patientiae* pacem deberi. Jam quid opus est tantis ambagibus? Si coacta tolerantia majoris offendente ad pacem potest disponere, certè majori cum specie prudentiae *spontanea minoris injuriæ tolerantia pacem tibi firmorem comparabit.* Si adeo delectaris adagiis Gallicis, en istæc: *Tout par amour, rien par force.* (i.e. Omnia per amorem, nil per vim.)

83. Dixi exilius quam res postulabat, patientiam pacem efficere. Supra enim ostendi, patientiam pacem conservare. Adeoque inde etiam præcellentiam patientiae præ bello tibi licebit cognoscere. Ubi bellum, pax nulla; Nec bellum (quod ad oculum hastenus demonstravimus) medium obtainendæ pacis esse potest. Ubi autem patientia est, ibi nec opus est pacificatione, cum bellum nondum adeset, sed patientia pacem conservat, ne bellum exoriatur.

84. Ac *Ledens* quidem si sponte sua satisfactionem nobis dare recusat, ipse satis ostendit, se non curare, an pacifice nobiscum vivat, an bellum nobiscum gerat. Sed dum *Jesus* arma non sumit, sed injurias sibi inflatas patienter fert, tamdiu inter utrosque nullum est bellum, & consequenter necesse est ipsis in statu pacifico vivere.

N

85. Ca-



85. Caput moves, & parum abest ne Sophistes me accuses. Ais enim, *Qualis hæc est pax, in qua nulla animi tranquillitate fruor.* Quomodo autem animo possum esse tranquillo, quando vereri cogor, ne *alter animi mei quietem singulis momentis perturbet?* Ac si concedam bellum non esse medium legitimum acquirendæ pacis, quomodo id patientiâ potest obtineri, quum ea potissima *causa* sit, *quamobrem ledens magis magisque excitetur, ut injurias iniuriis addat.* Velim ut ipse hoc consideres. Dixisti, hominem imprudentem formidine violentiæ ac pœnæ corrigi non posse, ut officium suum agat. Certe minus eum rationalem efficies, si omnia eius malefacta toleres. Si *pallium* prius mihi ademit, si id patienter feram, deinceps & *togam* rapiet, & *indus* tenuis me nudabit. Si *levi contumelia* prius me affecit, si eam concoquam, *infamem* me reddere conabitur. Si me leviter antea *percussit*, deinceps graviter me vulnerabit, vel omnino *trucidabit*. Tu vero non erubescis affirmare: Patientiam esse medium optimum obtinendæ tranquillitatis animi.

86. Sed hic accipe responsum, omnes hæce objectiones tuas, et si *affensu plerorumque hominum* fulciantur, non valere veritatem nostræ hypotheseos evertere vel saltem labefactare, in iisque multa pro veris te venditasse, quæ re ipsa aliter se habent.

87. Primum inter exempla *turbatae tranquillitatis*



*litatis animi hæc quoque retulisti, si quis tibi pallium vel togam auferat, si quis te contumelia lædat, &c. An jam oblitus es, quod supra demonstravimus, nec opes nec externum honorem ad veram animi tranquillitatem requiri, adeoque tibi ipsi imputabitis, si hoc animi tranquillitate privaberis, quod alter *indusium* tibi rapiat? Quin aliud *indusium* induis? Quid ageres si tam egenus es, ut nec *indusium* quidem possideres?*

88. Idem statuas de *contumelia*. Certe si in tam abjecto statu natus es, ut alter te tractat, ferendum esset. Deinde non est in alterius potestate, ut te ignominia afficiat, vel infamem reddat, si per virtutem tuam ab infamia liber es. Et si sapis, ejus factum non aliter intueberis, quam actiones hominis temulenti in lapides gladio fævientis, & te in bona quiete domientem provocantis.

89. Jam si parum circumspicias, reperies pleraque bella ob *vanam* aliquam gloriā, ob amplificandam potestatē & autoritatē atque *opulentiam* v. g. ob regionis aliquam particulam, &c. gesta esse. Ubi omni bello supersedere potuissent, nisi sibi vanè persuasissent, non posse se tranquille vivere, urbis vel ditionis cuiusdam facta abscessione, si injuriam Legato vel imagini factam, vel negatum matrimonium in ultum paterentur. Si quis loco suprematus, quem vocant, regnum suum ab alio in feudum reciperet. &c.



90. Porro satis te prodis quod naturam hominum parum cognoscas, si tibi persuades, fore ut patientia ledentem magis extimulet, ut te deinceps gravius offendat. Concedo equidem dari inter homines posse ejusmodi feram bestiam, quæ tam irrationaliter te tractat, si patienter injurias feras, ut dixisti. Sed si de futuris rebus ratiocinari volumus, non respicienda sunt ea quæ raro, sed quæ sæpius vel plerunque contingunt. Jam sana ratio tibi statim significabit, si è centenis quorum iniurias patienter tulisti, quinque essent, qui tam imprudenter te tractarent, rursus dari 95. qui ex instinctu naturali ab his iniuriis abstinebunt, ac pacem tecum colent.

91. Vel enim is qui te offendit *generoso animo* præditus est, i. e. temperamentum habet è multa voluptate & ambitione compositum, ac ex ignorantia potius quam ex proposito te offendit, tum generositate suâ incitabitur, ut sua sponte tibi justa compensatione pro offensa eò largius satisfaciat, quo majorem ei patientiam præstisisti. Vel ab affectu aliquo insigniter ac sensibiliter gubernatur. Tum verendum certè non est, ne ordinarie tibi iterum incommodet, et si patientiâ tuâ non invitetur ad præstandam tibi satisfactionem.

92. Si *ambitiosus* is est, vel mire ipsi placebis, quod injurias concoxisti, & te tanquam Clientem suum imposterum honestius tractabit; vel te ut imbellem & timidum alto supercilie



cilio despiciet, nec operæ preium existimabit tibi obesse.

93. Si *avarus*, patientia tua invitabitur, ut deinceps te humanius tractet, sperabit enim ab homine tanta patientia prædicto plura se humanitate quām vi obtainere posse, vel ad comoda sua te abuti.

94. Denique si *voluptati* se consecravit, pronus alioquin est ad misericordiam, adeoque patientiam tuam tanquam insignem obsequientiam interpretabitur, & tu ei videberis idoneus, cum quo lusus levissimos instituat.

95. Certe *incarnatum diabolum* hunc esse oporteret, qui aliis patientia abusus magis magisque furori suo indulgeret. Sed si in antecessum parum consideras *sævitiam* vel inde ori-ri, cum *ambitioso* diuturna pertinacia restitisti, eique superbum te præbuisti; Vel si *timidus* in timidiorem incidat, vel occasionem alioqui commodam nanciscatur iram suam effunden-di; mox deprehendes utrumque *sævitiae* genus te à patientia abstrahere non posse.

96. In priori enim *sævitiae* genere patientia quoddam quasi præservativum est, ne *ambitiosus* *sævitiam* suam erga me exequatur. In altero genere, hoc quidem rerum statu patientia ineptum pacificandi medium esse videtur, ac bellum ad pacem cum ejusmodi homine obti-nendam prævalere, sed ita saltem videtur.

97. *Timidus* magis solet esse *serus iniuria*, ac *vi oppressus*, & majorem deinceps metum

ostendens, vel occasionem ulciscendi naestus, quām si iniuriam ab eo sufferamus, eumque in metu suo, quem conceperat, veritus ne vindictam ab eo sumamus injuriæ, hærere patiamur; Imo ipse hic metus eum impellere potest, ut vindictam ipsi condonatam, beneficij loco interpretetur, nosque amare incipiat.

98. Deinde distingendum est inter *Metum & Patientiam*. Quicunque per metum patientis est, nondum est patiens, quia libenter se ulciceretur, si id ipsi liceret. Patiens vero in media etiam patientia ostendit se esse magnanimum, nec velle se ulcisci, quantumvis posset. At hoc rerum statu patientia meticulo sum irritare non potest ut injurias illatas continuet, quia patiens se non ostendit esse timidum, simul etiam magnanimitas in patientia ostensa satis eum doceat, non vacare periculo, si offendendo pergere deinceps cupiat.

99. Tertio enim proderit distinguere inter *iniurias præteritas & presentes*. Nos jam agimus de patientia præteritorum. Aliud est, si quæras, an futuras etiam iniurias tolerare debam, nec resistere mihi liceat, si alter de novo me velit offendere? Nam quantum hoc casu amores patientes esse jubeamur, suo loco determinabimus. Ita verò iterum sævitia timidi tibi non est metuenda. Concoque patienter illatas injurias. Si odoraris eum velle in malitia sua pergere, præbe ipsi saltem vultum leoninum, nec locus erit eius sævitiae.

100.



100. Idem responsum feres, si opponere mihi velles, me jam suprà concessisse, *dari omnino homines tam irrationalis*, qui patientiâ læsi ad malitiam suam amplius exercendam abutantur, adeoque in his saltem casibus patientiam non esse justum pacificandi medium. Possem & ita tibi respondere: Te vero etiam in his casibus aliud *præstantius medium* quâm patientiam *nominare non posse*. Ac etsi iterum ad bellum velles confugere, vel ad vultum leoninum, quod modo dixi, te recipere, tamen iterum insignis est differentia inter bellum defensivum & offensivum. Nos jam loquimur non de defensivo, sed de offensivo. Et idem quod supra contra bellum disputavimus, satis ostendet, nec his in casibus vindictam bellicam pacem ulla ratione procurare posse.

101. Tandem hæcine est Philosophia ista, tantopere prædicata, aīs, quæ viam sternere prætendit adolescentibus, quemadmodum *in mundo eleganter, decenter ac virtuose vivere eos oporteat?* Certe nūl nisi *depressas* mentes effor- mabit, & parentes tibi valde erunt obligati, si ex Academia tua loco præstantium virorum meros meticulosos homunciones domum recipient. qui cum punctum honoris (quod vocant) prorsus ignorent, ignominiam & honorem juxta æstimant, & ad omnes vitæ actiones facti sunt inutiles?

102. Enim vero ad extrema mihi redactus videris, quia loco prudentum objectionum ad



maledicta & calumnias te recipis. Non loqueris ut prudentes solent, sed ut Andabatæ. Philosophia mea vitæ civili non est contraria, sed eidem quam maxime congruit. *Is qui pblegmate maxime abundat, pro elegantissimo optimo queque morato homine se venditare potest.* Quo quis plus habet patientiæ, eo felicius aulis applicatur. Evident in familiaribus congressibus per jocum *Helvetiorum & Batavorum patientiam exagitare soles,* eisque nondum requisitus impertis hoc consilium, ut arma arripiant, vel his paulo fervidius agitatis se in majorem securitatem vindicent. Sed hanc quæstionem accuratius quæso examina. Ecquis magis est felix, aut certe minus miser quam Helvetii & Batavi in excessu patientiæ suæ?

103. Vides ergo patientiam tandem triumphare, ringaris licet insanissimè. Et si amplius eam maledictis petas, nil deinceps tibi respondebimus, sed in honorem patientiæ omnia patienter concoquemus. Velim tamen ut in calumniando modum teneas, ne patientia nostra rumpatur. Modum enim nescit patientia nimis lacefita, & hoc scias ipsam cum humanitate habere commune, eoque à veracitate modestiâ & mansuetudine discrepare, *quod ad patientiam nemo cogi queat,* sed id cujusque amori sit committendum. Atque idem est quod supra indicavimus, Lædenter à læso jure non posse prætendere, patientiam sibi exhibendam esse

104. Iamque facile vides quænam inter *Institutiam* & *amorem* in genere differentia sit. *Institutia* est pars amoris, facultatem homini concedens alterum cogendi ad ea, quæ sua sponte ipsi præstare deberet. Unde *Amor* absque justitia esse quidem potest, non autem *Institutia* sine amore. Imo *Institutia* nomen amoris perdit, si coactio reapse adhibetur, adeoque in aprico est, cur pars altera amoris nomen amoris sibi soli vendicet, ubi ne facultatem quidem habemus alios cogendi.

105. Iam demum secundum hanc differentiam instituta collatione quinque virtutum, specialium sub amore comprehensarum, deprehendes *humanitatem* atque *patientiam*, harum esse *nobilissimas*, quia ad has nemō ne cogi quidem potest, adeoque hæ ipsæ hominem amore præditum insigniter produnt, simul indicio sunt, eundem non minus esse, modestum, mansuetum ac veracem. Cum, *modestia*, *mansuetudo* & *veracitas* tantum gradum in amore univerfali non teneat, cum quis esse possit *modestus*, *mansuetus* & *verax*, qui non est *humanus* nec *patiens*, quia neglectis tribus hisce virtutibus coactio ei formidanda est, quæ in *humanitate* & *patientia* non est metuenda.

106. Utī vero haec tenus dicta aperte ostendunt, hujusmodi hominem intuitu externarum actionum, & pacis externe *justum* existimari posse, vel saltem non *injustum*, nunquam tamen apud alios de *amore suo universali* gloriari

N 5 ju-



juste possē. Ita *modestus*, *mansuetus* & *verax* ideo non amittit nomen hominis *amorem universalem* quibuscumque hominibus exhibentis, si manifestis circumstantiis significat, te etiam futurum esse modestum veracem & mansuetum, etsi *vis nulla* ipsi metuenda eslet. Neque vero ulla alia circumstantia hoc aliis firmius persuadebit, quam si *humanitati* simul ac *patientie* studeat.

107. Atque idem est quod vulgato disticho circumfertur:

Oderunt peccare boni virtutis amore,

Oderunt peccari mali formidine poenæ.

Nulla enim datur vera virtus, præter amorem, nec quisquam dici meretur virtuosus, qui metu coactionis extrinsecæ id agit quod justum est.

108. Cæterum quod *appellationem* harum vittatum attinet, paucula hæc observabis, ut dataim potius definitionem sive rem ipsam, quam nomen attendas, nec de vocabulis cum quoquam inanes λογομαχίæ incipias. Potes enim *modestiam* appellare *humanitatem*, modo observes notari hanc virtutem, quæ superbiæ, arrogantiæ, contemptui aliorum &c. opponitur. *Mansuetudinem* dices *pacificationem* (vel pacabilitatem) etsi idem nomen tribueres, posses *patientię*, quoniam is non solum est pacificus, qui alios non offendit, sed & qui aliorum offenditiones patienter sustinet. Par ratio est cum *appellatione* vitiorum, duabus his virtutibus.



tutibus oppositorum, dum rixandi libido, violentia, bellum, nocendi desiderium æque de immansueto ac impatiente prædicari possunt. *Humanitatem non repugno appellari misericordiam*, quia Immisericordia, Invidia &c. causantur, ne quis humanitatem exerceat. Denique liberum tibi est *Veracitatem nuncupare*. *Fidelitatem*, quia Impostor & Mendax qui non stat promissis, reapse infidelis est.

CAPVT VI.
DE
AMORE RATIONALI PARTI-
CULARI IN GENERE.

SUMMARIUM.

Sine consideratione Amoris particularis philosophia moralis imperfecta est, nec de eo tamen vulgo agi solet n. 1. Definitio amoris rationalis particularis n. 2. Est conjunctio duarum animarum virtutis studiosarum. n. 3. *Cur duarum animarum, nec duorum corporum?* n. 4. Amor rationalis potest etiam esse duarum personarum diversi sexus. n. 5. Communis differentia inter Amicitiam & Amorem. n. 6. Amor consistere potest absque copula carnali, & amicitia sine unione animarum esse nequit. n. 7. Propter communia mala exempla vulgo utrobique contrarium defendi solet. n. 8. Amicitiae rationalis & Amoris eadem sunt regulæ, & ut amor sit licitus, id non à solo dependenter matrimonio. n. 9. *Prava consuetudo præter rationem invecta circa conversationem duarum personarum diuersi sexus.* n. 10. Res ne-



necessariæ & verè bonæ ob formidinem abusus non sunt abrogandæ. n. 11. Prohibitio familiaris intimæ que conversationis sexus masculini & fœminini manus præbet irritamentum ad amorem irrationalem, n. 12. eumque potius auger, quam ut impedit n. 13. Occasio facit fures. n. 14. Sed & occasio probat virum n. 15. Quia vulgo conceduntur publicæ conversationes utriusvis sexus, sunt irrationales, n. 16. v. g. quod citharoedus e. g. plus habet privilegii, quam alii honesti homines n. 17. Diffidentia erga nostrates magis eos incitat, ut idem committant quod timemus. n. 18. Amor non est unus, sed duarum mentium (si plures deficiant) coniunctio, sed quo plures se mutuo amant, eō majori gradu *is amor rationalis est.* n. 19. Irrationale est odisse aliquem qui amat idem quod nos amamus, vel qui præter nos alios etiam amat; Non est enim in nostra potestate, amori resistere. n. 20. Alter eodem nobiscum jure gaudet amandi ea quæ nobis arrident, & amor ejus nobis magis prodest, quam obest. n. 21. Et is qui præter nos & alios amat, vel laudandus est vel contemnendus, nunquam vero odio habendus. n. 22. *Quid sint homines virtutis studiosi* n. 23. Differunt a virtute præditis. n. 24. Amor rationalis similitudinem quidem exposcit studiorum seu inclinationum hominis, non vero graduum horum studiorum. 25. 26. Amor rationalis requirit tres peculiares virtutes. n. 27. quarum singulæ justam *existimationem* præsupponunt, n. 28. 29. Quid sit existimatio, & quod homo etiam inferioris conditionis magni æstimari queat. n. 30. Ex Existimatione oritur (1) *Sollicita officiositas.* n. 31. Hæc est character omnium maxime indubitatus, n. 32. maximeque necessarius veri amoris. n. 33. Oculos mentis potius exposcit, quam corporis. n. 34. Ars existimationem suam personæ amatæ in publica conversatione per

ma



manifestas actiones occulte significandi n. 35. Non alias habet regulas, nisi ipsum amorem. n. 36. Insignis usus trium virtutum amoris universalis, ad officiositatem commodius exercendam n. 37. 38. Cur officia sollicita officiositatis vocentur officiola minuta seu innocentia? n. 39. Officiositate mercem pretiosissimam nobis comparamus pro nihilo. n. 40. Cur paucissimi hac utrantur mercatura. n. 41. Is cui nos præbemus officiosos, studium nostrum non potest exigere ut debitum n. 42. Quot modis contra hanc regulam impingi soleat. n. 43. Hoc ipso indignos sese reddunt amoris quæsiti. n. 44. Atque hæc major est turpitudo, quam si omnino careant officiositate. n. 45. Hi tamen amore ad uemagis sunt indigni, qui officiositatem ab aliis sibi præbitam repudiant &c. n. 46. Quando se amor utrobique plene exerit, cessat sollicita officiositas. n. 47. Adeoque ex hujus virtutis usurpatione atque intermissione intelligi potest, quounque homines in amore suo progressi sint. n. 48. 49. Et injuste agunt, qui certi jam sunt de amore, si levia hæc signa adhuc requirunt. n. 50. Sellicitam officiositatem sequitur (II.) confidens Beneficentia. n. 51. Monita circa libros Senecæ de hac virtute n. 52. Ejus definitio n. 53. Fiducia illa præcedere debet Beneficentiam. n. 54. & sine ea Beneficentia nulla rationalis est. n. 55. Imo plane non est beneficentia, sed prodigalitas. n. 56. Vel propria commoda inde queruntur. n. 57. Etsi virtutuosi cito se discant cognoscere, & mutuam erga se fiduciam concipient. n. 58. Irrationale est amare eos qui nos oderunt, vel qui nos non redamant. n. 59. Nec est amor rationalis, si inde in morbum incidimus, vel morimur. n. 60. Mutua beneficentia est pars necessaria amoris particularis. n. 61. & indubitatum ejus signum. n. 62. Quia neque in Humanitate, n. 63. neque in felicitate

ef



officiositate, n. 64. neque in amore irrationali
 deprehenditur. In amore irrationali posunt con-
 tingere pretiosæ & opacæ amoris testificationes
 n. 65. Vita etiam periculo exponi potest in a-
 more irrationali. n. 66. sed hoc ipso in amore qui-
 dem irrationali privata delectatio, in rationali ve-
 la personæ amatæ delectatio queritur. Eoque
 vera beneficia à fictis discernuntur. n. 67. Hac
 occasione natura verorum & fictorum prolixe ac-
 curateque confertur. n. 68. 69. 70. 71. 72. 73. Be-
 neficentia non pescit mercedem. n. 74. Nec ca-
 ret ramen spe mercedis accipiendæ propter grati-
 tudinem personæ amatæ. n. 75. Gratitudo in ve-
 ro tantum amore reperitur. n. 76. De gratitudine
 & ingratitudine alterius difficulter judicatur. n. 77.
 Ad gratitudinem nemo cogi potest. n. 78. Potest
 etiam aliquis esse gratus, et si alteri reapse non præ-
 stet beneficium. n. 79. Quisque ne pauperissimo
 quidem excepto idoneus est, ut alteri beneficium
 exhibeat. n. 80. In paucis hisce præceptis univer-
 sa doctrina Seneca de beneficiis concentrata est. n.
 81. Si amor perfectus est, oritur inde (III) Plena-
 ria communio omnium bonorum, omniumque actio-
 num secundum rectam rationem institutarum n. 82.
 De primæva communione bonorum, & Ecclesiæ
 primitivæ. n. 83. De communione Platonis. n.
 84. Objectiones contra communionem bonorum.
 n. 85. Tollit discrimen inter divites & pauperes
 n. 86. Sed ideo ea quam maxime esset optanda.
 n. 87. Tolleret etiam plures alios status in Republi-
 ca, qui stultitia & vanitate aliorum hominum
 multiplicantur. n. 88. Nec vitam tamen civilem,
 ac Rempublicam penitus tolleret. n. 89. Quia non
 solum introductio dominii bonorum absque socie-
 tate civili n. 90. sed & hæc absque illo commode
 consistere potest. n. 91. Exemplum Reipublicæ in
 qua introducta esset communio bonorum reperitur
 in



in Historia Sevaramborum. n. 92. Communio bonorum non inducit otium n. 93. 94. An sublata esset omnis beneficentia ac amor, si non esset dominium bonorum? n. 95. 96. An proposit abrogari privatam bonorum possessionem, & communionem introduci? n. 97. In quo consistat communio affectionum, & quomodo ea à beneficentia discernenda sit? n. 98. 99. Objectio, quod amor perfectus rursus decrescere debeat, adeoque non possit esse quietus. n. 100. Ejus refutatio. n. 101. 102.

I.

INITIUM PRÆCEDENTIS CAPITIS TIBI OSTENDERET,
Philosophiam moralem valde imperfectam
fore, si in amore universalis acquiesceremus,
nec præcepta specialia de *amore particulari*
tradereimus, cum hic sit ipse verus amor, a.
deoque medium genuinum ad assequendam
animi tranquillitatem. Videbis tamen è præ-
senti capite, quod in plerisque quæ in eo con-
tinentur, necesse fuerit, ut ipsi glaciem fran-
geremus, dum nemo Philosophorum moralium
hîc quidem nobis faciem prætulit: unde veni-
am quoque speramus, si præter spem in singu-
lorum accuratissima explicatione aliquid à no-
bis fuerit prætermissum.

2. In ipso quoque superioris capitatis exor-
dio aliquanto prolixius differentiam amoris
universalis & particularis exposuimus, quare
nec ea hoc loco repetimus, sed ex his quæ de
discrimine amoris veri & ficti, seu rationalis
& irrationalis ibi tradita sunt, *Amoremrationa-
lem*



lem particularem definimus, Unionem duarum mentium (seu animarum) virtutis studiosarum, mutua officiositate & attenta sollicitudine questam, mutuis benefitis acquisitionem & omnium rerum communione possessam atque conservatam.

3. Quid per hanc Unionem intelligamus, non opus est repetere, cum hoc jam capite quarto abunde sit explicatum. Quod vero mentionem fecimus duarum animarum virtutis studiosarum, paulo clarius expoundendum est, quo vulgatos errores complures melius intelligamus, & harum rerum naturam accuratius perspiciamus.

4. Per duas *animas*, duos integros homines intelligimus, animæ vero potius quam corporis mentionem fecimus, ut iterum reminiscamur eorum, quæ suprà capite quarto de unione corporum, *an hec sit necessarium amoris requisitum*, prolixè docuiimus.

5. Quare manifestum etiam est, cum *discrimen sexus*, ut supra quoque indicatum est, corpus, non animam concernat, quod nullum etiam discrimen sit faciendum inter *amorem rationalem hominum ejusdem & diversi sexus*, sed quod uterque amor ex iisdem communibus principiis deducendus sit, nisi quod exceptio observanda, de copula carnali, an licita illa sit inter personas diversi sexus, quod ipsum supra quoque notavimus.

6. Ac frequentatum quidem est eruditis amorem hominum vel ejusdem vel diversi le-

xus,



xus, diversis nominibus insignire, dum solum amorem qui inter diuersi sexus homines intercedit, amoris nomine dignantur, ejusdem vero sexus amorem *Amicitiam tantum* vocant; Et possemus omnino pro more nostro pati, ut hic quisque loqueretur ut vellet (cum ipsi breuitatis causa saepius vocabulum amicitiae, pro significando amore duorum hominum ejusdem sexus adhibeamus, nisi reapse à veritate rei aberraretur.

7. Primum enim falsum est, statuere copulam carnalem ad unumquemque verum amorem tanquam partem essentialē requiri, cuius contrarium supra etiam demonstravimus. Deinde non minus irrationale est somniare, veram amicitiam in moderata conformitate externarum actionum posse consistere, et si animi nunquam conjungantur, sed uterque privatas utilitates respiciat.

8. Uterque error inde promanat, quod ob communem mundi stultitiam nullum fere exemplum neque rationalis amicitiae sine respectu privati commodi, neque rationalis amoris sine cupiditate per copulam carnalem sese delectandi reperiamus; cum fere omnes in bestialitate hærent, & hac ratione, ut ubique fieri solet, vitiis virtutum nomina sint imposita; cum tamen in verâ amicitia, ubi est justa animorum unio, tanta omnino delectatio sentiri queat, quanta in amore rationali mulierum.

9. Notabis ergo quod omnia ea, quae in hoc



hoc capite *de amore rationali* dicemus, & que de amicitia ac amore sint intelligenda, adeoque amor rationalis hominum diversi sexus non est solo conjugio judicari debeat, quia non solum, ut diximus, amor conjugatorum plerumque magis irrationalis est quam rationalis, sed etiam, quia deinceps amorem rationalem conjugum tanquam conclusum ex hoc capite derivabimus, adeoque hoc conclusum non potest esse regula fundamentalis amorem rationalem in genere cognoscendi.

10. Quae cum ita se habeant, vulgatus quidem sed perniciosissimus error est, quod non solum personas diversi sexus inde ab adolescentia, mutue ac rationali inter se conversationi non patientur assuescere, ex hoc enim neglectu postea magna ex parte sequitur alias abusus, quod jam adultos ut extra matrimonium sexus alterius sexus intimam conversationem ut noxiun quid & in honestum prorsus fugiat, docent, vel duorum hominum prudentum non conjugatorum familiares congressus statim tanquam irrationalis & flagitiosum amorem traducunt & convictis proscindunt; et si ceteroqui nulla suspicione turpitudinis queant incusari. Nam hoc ipso palam totus mundus impeditur, ne optimam partem amoris rationalis ac particularis exerceat, cum per superius tradita, confidentia & misericordia inter duos homines diversi sexus naturaliter longe fortior sit, quam inter personas ejusdem sexus.

11. Scio equidem id omne fieri hoc praetextu, ut abusus amoris irrationalis eo prescin-

da-

datur. Fateor etiam, ob eam ipsam pravam educationem ac communem corruptionem, in conversatione tam conjugatorum quam cœlibum, juniorum præsertim, magnam adhibendam esse cautionem. Hoc tamen non obstante prætextus iste parum valet. Neque enim facile invenies aliquid magis irrationale hoc prætextu. Certe res indifferentes omitti possunt, si ingens earum contingat abusus. Sed res necessarias, vel verè bonas ob abusum metuendum abolere, est contra sanam rationem. Ecquid vero magis est necessarium quam rationalis ac confidens familiaritas inter personas diversi sexus? dum omnes historiæ testantur, quod ex odio inter ipsos maximæ confusiones oriuntur. Adde quod neglectus rationalis conversationis inter mares & foeminas cognitionem animorum in rationali matrimonio in-eundo necessariam manifeste impedit.

12. Deinde *amor inordinatus eo fortius inflamatur, quo majori cum vēbementia omnis licita conversatio prohibetur*; dum non solum perversa natura fere in omnia prohibita, quorum alias nullus est appetitus, quam maximè ruit; sed & in aprico est, quod qui se irrationaliter amant, accedente repulsa & interdicto amore suum intensius inflammare conantur.

13. Taceo hanc confuetudinem *impotentem esse, ut abrupta omni familiaris conuersatione a morem inordinatum impedit*. Duo amantes, qui sibi proposuerunt, velle se mutuo irrationali-

O 2 ter



ter amare , modo parum versuti sint , idonei sunt , ut totum mundum cum exquisitissima sua custodiâ eludant . Italia semper ob crebra adulteria præ Galliâ infamis fuit ; Et qui mediocriter in mundo versatus est , facile mihi largietur , mulieres pavidissimas magis esse proclives ad amorem inordinatum , quâm eas quæ liberæ cum maribus conversationi assueverunt ; Tantum abest , ut intempestiva hæc cautela malum quod timent , impediat , ut id potius promoteat .

14. Verum cum , ut supra dixi , non intendam conversationi juniorum hominum irrationalium patrocinari , excusatio communis abusus me non ferit , quando vulgara proverbia adducuntur : *Occasio facit fures. Ignis & stramen proprius juxta se posita, in flammam prorumpunt.*

15. Nam & aliud proverbium ipsis poterit opponi : *Occasio probat virum. Ob metum incendi ignis & stramen non sunt totis parasangis a se invicem removenda.* Occasio non facit furem , sed cor furto inhians prodit . Erubescere debemus , quod filios nostros omnes ut flagitosos & filias nostras ut impudicas , & quæ sint ex numero earum , de quibus Poëta ait ; Casta est quam nemo rogavit , hoc modo diffamamus ? Imo quod nosipso negligentiæ vituperio dignissimæ accusamus , quod celsaverimus rationali educatione eos assuefacere , ut insuspirata & honesta conversatione mutuo uterentur .

16. De-



16. Deinde quam ridicula est cautela nostra? Suspectas habemus duas personas diversi sexus, si familiariter inter se converuantur, et si nec crimen ullum, nec quod criminis speciem aliquam habeat, de ipsis dici queat. Id vero laude dignum censemus, si in publicis congresibus *comestationes & comportiones, ludos, saltationes promiscue agitant, accum se mutuo jocis securilibus exagitant, tum alios absentes conviciis proscindunt?* Hoc vero nonne perinde est, ac si afferere conaremur, virtutem atque pudicitiam cibo potuque delicato, item quæstu fraudulentio, ludis levissimis, oculorumque lasciva collustratione & corporis obversionibus a morem provocantibus, ac calumnia conservari?

17. Item quâ prudentia *magistris chorearum vel linguarum exoticarum, citharædis, pictoribus, &c.* concedimus, ut quotidie per aliquot horas cum uxoribus vel filiabus nostris soli convergentur, *aliis vero honestis hominibus simul cum mulieribus nescio quod crimen imputamus, si non omnes suas conversationes in præsentia trium vel plurium testium (velut Advocati, cum Inquisitis locuturi) peragant.*

18. Ipsa porro *diffidentia*, quim habemus erga honestatem nostratum *magis magisque eos irritat ad in honestatem.* Mens honestatis studiofa, tranquillitatem animi nondum in insigni gradu possidens nulla re magis excruciat, quam si quis eam de vitio hactenus à se exoso,

O 3 suspe-



suspectam habeat. Et secundum communem sapientum observationem falsa mariti suspicio primus gradus est ad opprobrium ex inordinatio uxoris suæ amore ipsi expectandum.

19. Sed redeundum est ad propositum, ne longius à terminis instituti nostri dilabamur. Igitur quod *duarum* animarum supra mentionem fecimus, non tam inde factum est, ut *majorem numerum* excluderemus, sed ut ostenderemus, quod per superius explicata, nemo se ipsum vere queat amare. Quo plures ergo animæ virtutis studiosæ inter se unitæ sunt, eo major eorum delectatio est, eoque maior redditur eorum animi tranquillitas, quia horum unusquisque reliquorum felicitate tranquille delectatur, nec aucto numero amantium numerus amoris multiplicatur, sed ex omnibus illis una quasi anima, & vere una voluntas & unus amor constituitur.

20. Ex his igitur perspici facile potest, quod nil magis à sanâ ratione abhorreat, quam hominem aliquem ideò odisse, quod personam aliquam amet, quam nos itidem amamus, vel quod alius quis præter nos, eam amet, vel quod ab alio se amari patiatur. Amor non est effectus arbitrii nostri sed naturæ: & æque impossibile est, ut Magnes ferrum proxime juxta se positum non attrahat, quam ut mentes ingenio similes ac rationales, si cordium suorum conformitatem intelligant, se mutuo non ament. Amor irrationalis primo intuitu hominis formosi, vel la-

lascivis irritationibus illico accenditur, sed mentes rationales & honestatis amantes, priusquam se mutuo incipient agnoscere, plane indifferenter convertantur, nihilominus eorum amor, ostensis sibi reciproce meritis suis, in tantam amplitudinem tantumque ardorem excrescit, ut alteri sine altero vivere grave sit. Jam quomodo *hominem ullum odio haberemus, vel ipsi ira sceremur, si id agat, in quo naturae sua non vallet resistere?*

21. Deinde ex quo fundamento in specie succensibimus ei, qui idem incipit amare, quod nos amamus? Nonne idem eius ius habet, quod nos habemus, & potestne hoc, quod aliquem prius ac ipse amavimus, nobis ius dominii afferre? Amor non obtinetur mercaturâ nec pecuniâ comparatur. Non potest ulli homini cedere in peculium, quia sine detimento alterius, omnes homines delectare potest, & quia Deus amorem cordibus nostris implantavit, ut hōc universum genus humanum uniatur, quæ unio ab ipsis hominibus irrationaliter impeditur. Porro Amor iste detrimentum mihi afferre non potest, sed obligatus potius sum ei qui idem amat quod ego. Nam si hanc personam amat, cum qua ego unitus sum, mecum quoque unitur, dumque ejus delectationem quærit, vel eandem delectat, necesse est ut me simul delectet, cum delectatio mea magis in delectatione personæ amatæ, quam in propria delectatione consistat.

O 4

22. I-



22. Idem possemus respondere, *quamobrem nefas sit succensere personæ dilectaæ*, si amari se patitur ab alio, eumque redamat, sed & has rationes addere placet. Persona ea quam amamus, aut præter nos amat personam *similiter virtutis studiosam*, imo quæ virtute nos præcellit; aut amat personam *flagitiosam*, quæque non meretur istam existimationem. Si *virtutis similiter studiosa* est, vel virtute etiam nobis est superior, cur odio persequeremur amicum vel amicam nostram, quod id agat, ad quod sanâ ratione impellitur, quodque nos ipsi ageremus vel agere deberemus, si ejus loco essemus. Sin *flagitiosa*, nulla ratione urgemur, ut vel ipsum hominem flagitosum, vel amicum aut amicam nostram odio habeamus (quoniam per cap. præced. demonstrata nunquam ullam rationem reperiemus, cur illum hominem odio habeamus.) Nec ulla tamen ratione invitamur, ut eam amemus, cum ex hoc ipso ejus facto cognoscamus, non esse eam adeo virtutis amantem, qualem eam conceperamus, nec posse eam in flagitioso illo homine non invenisse sui similem. Ideoque homini isti flagitioso certo modo obligati sumus, quod nimur causa fuerit, quâ ab errore perniciosissimo liberaremur.

23. Porro cum in definitione amoris particularis mentionem feci duarum animarum *virtutis studiosarum*, jam caput præcedens ostendit, cur inter omnes similitudines particulares quæ



quæ homini cum homine intercedunt, nullam
hac ipsa ad amorem rationalem magis idoneam
judicaverimus. Imo hypotheses nostræ supe-
rius traditæ demonstrant, cum virtutem nul-
lam præter amorem agnoscamus, hos solos ha-
bendos esse pro *virtutis studiosis*, qui actionibus
suis significant quod *ament Amorem*, hoc est, se-
cundum dictum capit is præcedentis, humani-
tatem, veracitatem, modestiam, mansuetudi-
nem & patientiam. Atque id ipsum est quod
superiori capite diximus, *Amorem uniuersalem*
esse normam amoris particularis, i. e. hos qui di-
ctis quinque virtutibus, imo vel earum una,
prosperus destituantur, ad amorem particularem
ineptos esse.

24. Cæterum data opera animas *virtutis*
studiosas, non *virtute præditas* desideravi, ut si-
gnificarem amorem rationalem *non solum*,
esse eorum, qui tranquillitatem animijam *in insi-
gni aliquo gradu possident*, sed & eorum qui ad
eandem studiose contendunt, et si adhuc *tyro-
nes* sint nec in tramite virtutis magnopere pro-
gressi; Luculenter tamen apparet, hâc ratione
in amore rationali distinctos dari gradus, quo-
rum hic excellentissimus sit, cum duo vel tria,
corda eorum qui tranquillitatem animi jam ad-
epti sunt, uniuntur.

25. Itaq; cum non minus hos qui in via virtu-
tis ambulare incipiunt, quam eos qui ad scopum
pervenerunt, virtutis studiosos censeamus; sæ-
pe autem tanquam rem demonstratam hanc

O 5 re-



regulam attulerimus, *Amorem similitudinem aliquam exposcere*; sciendum porro est, hoc non obstante amori rationali non tantum locum esse inter eos qui in semita virtutis una quasi ambulant, in eaq; vel longius progressi sunt, vel minus spatum confecerunt, sed & inter eos quorum alter alterum insigni intervallo superavit. Vnde porro concluditur, in amore *similitudinem* tantummodo *qualitatum & inclinationum*, non *equalitatem graduum* requiri.

26. Nam *similitudo* tantum requiritur propter *unionem*. Qui in diversis viis incedunt, uniri nequeunt; At si in una eademque via alteruter longius excurserit, tum *unio* commode potest contingere, duplice quidem ratione: Vel si hic alterum expectet, vel plane retrocedat, eumque in itinere adjuvet; vel si alter festinet, ut hunc assequatur. Hanc observacionem diligenter nobis imprimainus, quia ex eadem suo tempore distinctos gradus amoris rationalis particularis conficiemus.

27. Iam in ejus definitione pergamus. In ea enim mentionem fecimus *trium virtutum*. (1) *Sollicitae officiositatis*, quâ amor iste utrobique queratur. (2) *Beneficentiae*, quâ is paullatim, secundum distinctos gradus suos comparetur, denique (3) *Communionis omnium facultatum atque actionum*, qua significetur unionem jam plane confessam, & amorem *in summo gradu comparatum esse*. Priusquam autem tres hæc virtutes accuratius inspiciamus, pauca quædam dicenda sunt de περιμήσει seu Existenti-

ma-



matione, quippe quam hoc sensu amorem rationalem semper oportet præcedere.

28. Non omnes homines natura sunt virtutis studiosi, & Virtus ad cognitionem sui accurata opus habet attentione. Secundum quas regulas hæc cognitio sit instituenda, suo tempore docebimus. Iam sufficit facile intelligi, quod quemadmodum simile simili jungitur, ita quisque sui similem facili negotio quærat & inveniat. *Homo virtutis studiosus*, etsi virtutis amorem alteri inhærentem non illico clarissime agnoscat, tamen eum statim quasi *odoratur*, si nil in ipso deprehendit vitiosum, & hæc divinatio nihil aliud est nisi $\pi\acute{\eta}\sigma\tau\mu\nu\sigma\tau\varsigma$ quædam seu Existimatio, cuius virtute homo virtutis studiosus alium hominem secundum externas suas actiones tamdiu habet pro virtutis studio, donec contrarium videat.

29. Hæc $\pi\acute{\eta}\sigma\tau\mu\nu\sigma\tau\varsigma$ seu existimatio est fundamentum summe necessarium omnis amoris rationalis, cum sit impossibile, ut desiderium unionis rationale sit, nisi præcesserit hæc Impressio, personam amatam esse virtuti deditam.

30. Cæterum hæc Impressio vocatur Existimatio (Eine Hochachtung) in comparatione, virtutis studiorum cum *vitiis*, non cum *virtutis studiosis* in minori gradu. Ideoque non solum tyro virum sapientem magni æstimat, sed & hoc sensu duo homines equalis proficetus summam erga se $\pi\acute{\eta}\sigma\tau\mu\nu\sigma\tau\varsigma$ reciprocant, & *Vir sapiens tyronem virtutis magni* facit, quia qualitatem quæ se ab aliis separat & è bestialitate emergere co-
na-



natur, tanquam singulare quid suspicere co-gitur.

31. Ex hac Existimatione seu admiratione fluit *Sollicita Officiositas*, Estque Virtus qua *A-nimus virtutis studiosus alterius actiones minutissimas observat; qua observatione non solum alterum indies penitus cognoscat, sed & ipsi significet, quanti eum faciat, quantamque ei hoc ipso p̄e aliis pr̄erogativam tribuat; unde & omnia alterius desideria quasi ex ejus vultu colligit, eique non rogatus mille officiola exhibet non laboriosa quidem nec sumptuosa, sed tam levia ac servilia, ut alter erubesceret ea postulare, ea-que cum verecunda quadam modestia accipit.*

32. Sollicita officiositas est primum & cer-tissimum ac summè necessarium signum amoris incipiens. Hæc ubi reperitur, secure possumus colligere, amari aliquem, quia impossibile est, ut quis alterum continuè obseruet, si affectat officiositatem, nec ingenuè alterum colit, sed ne-ce-sitè est eum tandem aliquando in negligentiam incidere, fictumque amorem prodere. Omnia verbotum blandimenta atque dulcedines, omnes oculorū nutus & amicæ collustrationes fallere possunt, & quotidie decipiunt, nisi cum hac officiositate conjungantur. Ubi vero ea deprehenditur, apud prudentes sine ullo verbo aliisque signis irritantibus maximum habebit effectum. Is qui prolixe garrit de amore suo, minime amat, qui vero amorem suum tacita hâc officiositate ipso facto demonstrat, inten-

tensissime amat. Idque Hecaton innuit apud Senecam inquiens: Si vis amari, ama.

33. Deinde *maxime* etiam *necessaria* est, adeò ut absque ea exquisitissima etiam rarissimaque amoris signa inania & quasi mortua sint. Ubi est thesaurus noster, ibi cor nostrum etiam esse oportet, & ubi est cor nostrum, ibi etiam oportet esse oculus nostros. Quicunque amat, desiderium sentit conjunctione cordis alterius defectus suos compensandi. Quomodo autem aliquid potest desiderari, nisi id quod deramus assidue cogitetur? Porro quomodo id cogitari potest si cogitationes aliis rebus intentae sint, nec ulla actio personæ amatæ observetur?

34. Dum *oculorum* mentionem feci, *oculos corporis* equidem non plane exclusos volui; (neque enim negandum est oculos, uti in cognoscenda veritate maximo nobis subsidio sunt; ita & in hac virtute valde necessarios esse; adeoque cœcos ingenti prærogativa privatos esse in ambiendo aliorum amore, proprioque amore aliis luculenter significando;) *oculos* tamen *cordis* i.e. cogitationes potius respicio. Quisquis impensè amat, personam dilectam tunc etiam attente observat, cum oculos aliorum avertit, non solum in his quæ auditu percipiuntur, sed & in iis quæ ad vitum alias referuntur, id quod videtur equidem ridiculum, sed à quolibet facile intelligitur, qui paulisper modò vult attendere, quot objecta videri possint præter



ea, in quæ radius visivus ab oculis nostris protensus rectâ incidit.

35. Imo hanc Officiositatem interdum ita institutam esse oportet, ut per eam in publica conversatione amorem alicujus ambiamus, nec quisquam tamen preter personam quam amamus, hanc officiositatem animadvertis, cum vitiosis hominibus quotidie simus circumdati, qui Virtuti, adeoque etiam amori honesto invident, eamque calumniantur, ac mille ei obstacula ponunt. Has insidias non possemus evitare, si semper unam aliquam personam, quam magnificimus, intentis oculis intueremur, & discrimen, quod omnes animadverterent, inter ipsam & alios faceremus. Is qui possidet hanc officiositatem mille occasiones reperiet, quibus adjutus, dum secundum externam speciem totam societatem & quali modestia colit, illi, cui amorem atque existimationem suam significare cupit, eandem cum verbis, tum actionibus à nemine animadversis, manifestet.

36. Sentio hanc thesin paradoxam tibi videri. & mire desideras hanc artem *certis regulis* comprehensam addiscere. Iamne igitur oblitus es, quod initio diximus, *frustra eam regulis velle discere*, qui non revera amat. At si revera amas, regulis nullis opus habes, sed ipse amor tibi optimus erit magister. Quotidiana hoc probat experientia in amoris generibus non admodum secundum rationem suscep-
ptis



ptis; an ergo amori rationah, quæ ipsiflma ratio est, minores vires attribuas?

37. Velim saltem expendas h̄ic utilitatem amoris universalis, in specie *Humanitatis, Veracitatis & Modestiae*. Qui non consuevit unumquemque humaniter & officiose tractare, nec verborum suorum (quod ajunt) mancipium est, ineptissimus erit ad sollicitam officiositatem, multasq; occasiones prætermittet, amicis suis, quos amore amplectitur, grata præstandi officiola, vel promissa stricte servandi, dum existimat, tamquam harum rerum insuetus in hisce minutis parum momenti situm esse.

38. Ac si concedam amorem hominis aliquuj plane eum immutare, & in momento eum erga personam dilectam officiosissimum reddere; tamen partim impotens erit, ut *affectionem suum premat*, id quod interdum opus esse diximus, sed quisque ex ejus conversatione, tanquam inconsueta, *veram causam mox appetiet*; partim hoc ipso personam virtute præditam parum cominovebit, cum ea ejus amorem tanquam è virtute profectum accipere non possit, quoad non *omnibus sese præbet humandum, veracem, ac modestum*, cum, ut s̄a pe diximus, amor universalis sit fundamentum & norma amoris particularis.

39. Ceterum sollicita h̄ec officiositas in minutis officiolis consistit. Vocantur autem minuta, cum quod exhibenti *parum molestiae ausimpense causentur*, v. g. aliquid humo tollere, ali-



aliunde quid afferre, ac porrigerere, sellam, fessuro aptare, aliquid exigui pretii, quo alter delectatur, munus ipsi offerre, &c. tum quod horum exhibitor coram oculis alterius se *quasi minorem putet*, ut si quis ultro ad eiusmodi officiola se se offert, vel non rogatus ea præstat, quæ alias ordinarie solent esse famulorum.

40. Postremi generis homines ergo sunt hujusmodi, ut de ipsis jure dici possit, *Res nibili pretiosissimas esse in amore*, vel *summam beatitudinem ac mercem pretiosissimam amorem nimirum, particularem, comparari posse nibilo*. Omnia minuta officiola, quæ aliis hominibus exhibemus, nihil sunt; Nam qui alteri ea exhibet valde irriteretur, si ea alteri tanquam rem levissimi pretii imputare vellet, aut tanquam beneficium objicere. Contra is, cui hæc præstantur, tanto eo majora putat, quanto major ejus est existimatio, qui ea exhibet, & quo major est exinanitio ipso officiolo significata. Unde sæpe quoque contingit, ut quis unico hujusmodi officiolo cor amici vel amicæ simul & semel sibi reddat obnoxium.

41. Ita vero magis mirandum est, quod paucissimi hæc utantur mercatura, pretiosissimumque veræ amicitiæ atque amoris clinodium tam vili pretio comparare sciant. Id quod partim indefit, quod erga omnes homines negligentes sunt, nec humanitate ac modestia utuntur, partim quod turpe censent ea agere quæ

fa-



famulis competunt, cum non intelligent misselli, ejusmodi officia per se non esse servilia, sed tum servilia demum evadere, cum alter ea nobis imperare, vel pro re nata ad ea præstanta cogere potest.

42. Inde etiam regulæ amoris hos quibus nos præbemus officiosos obstringunt, ne hujusmodi officiola à nobis exigant, ut debitum, imo ne ea patientur sibi præstari, nisi cum significacione mediocris alicuius resistentie, ut ipsi etiam demonstrent, se ea nou ut servitia, sed ut amica officia considerare, quorum pretium è sola præstantis liberrima promtitudine dependeat.

43. Qua ratione indignos fese reddunt amore quæsito, qui cum semel nonnullis in rebus nostra experti sunt officia, non erubescunt ea denuo à nobis exposcere, vel ea absque ullæ repulsa permittunt, vel jam accepto officio, signo nullo testantur, quod ideo nobis sint obligati, quod parti studio ea conentur compensare.

44. Etsi enim antea dixerimus, quod is qui hæc præstat officia, alteri ea imputare negeat, potest tamen ea illæsa sana ratione deinceps intermittere, quia alter ipso facto suo demonstrat, amorem nostrum sibi non esse acceptum, adeoque valde erravimus, existimantes alterum æque ac nos virtutis esse studiosum.

45. Certè qui tam morosos se præbent erga officiola sibi præstata, magis agunt contra rationem

P Q

nem



nem, quam qui his quorum ambiunt amicitiam, *hec officiola non exhibent.* Ac hi quidem dubitant ea quæ nullius sunt pretii, cum rebus pretiosissimis commutare; illi verò ne pro pretiosissimis quidem rebus quæ ipsis offeruntur, res nullius pretii solvere volunt. Ecquid enim aliud est modesta officiorum agnitione ab ipsis requisita, quam nihil?

46. His magis adhuc inepti sunt ad amorem, qui ejusmodi sollicita officiolavei *plane repudiant*, vel *eas statim compensant.* Illi nos vel ad amorem particularem censem inidoneos, vel amorem suum majoris esse pretii censem, quam ut eundem hisce minutis mercemur. Hi fere idem agunt, nisi quod illi nihilum nostrum acceptare nolunt, hi vero nihilum nostrum pari nihilo compensare satagunt, id quod infinitis modis minus est, quam nihilum modestæ officiorum agnitionis. Certe *animus virtutis studiosus majori contumelia affici non potest*, quam si quis ejus sollicitudinem prorsus detrectet, & ejusmodi hominem magis indignum habebit amicitia suâ, quam sui inimicissimum. Inimici enim nostri nos sibi æquales certe existimant, quia nobis irascuntur. Sed qui amorem nostrum detrectat, humanitate quasi nos eximit, cum omnes homines digni sint, qui ab omnibus amentur; Imo maxima flagitia nobis quasi imputat, cum nemo indignus sit amore particulari nisi qui vitiosus est.

47. Quantacunq; vero sollicitæ officiositatis sit



sit preciositas ac necessitas, non est tamen summa virtus Amoris. Amorem saltem *ambit*, & ratione nostri significat, nos ad amorem esse paratos, si alterum videamus ita esse compositum, ut amorem nostrum accipiat. Est *honestas* quædam *speculatrix*, explorans alios, an amore nostro digni sint. Actiones ejus *tantæ non sunt*, ut pro *Effectionibus veri amoris* atque amicitiae venditentur. Itaque eam loco cedere oportet, quamprimum verus amor incipit, i.e. quamprimum de amore alterius ejusque virtute certi reddimur, aliisque virtutibus excellentioribus locum relinquere.

48. Neque vero hanc *diaconem*, evidensissimam licet, obiter saltem attingemus, sed aliquot observationes inde deducemus, quæ cum ipsa necessario nexus conjunctæ sint, etsi contra eas vulgo impingi soleat. Primum, quādiu duo homines sollicitam hanc officiositatē sibi adhuc exhibent, non solum certos nos esse posse, quod alter alterius benevolentiam adhuc ambiat, nec ejus certitudinem habeat, sed etiam quod is qui sollicita hāc officiositate nobis per diuturnum tempus obviavit, aut decipere nos conetur, quando de amore suo nos certos reddere studet, aut amori nostro diffidat.

49. Secundo, *cum due personæ*, quæ mutuam officiositatē sibi hactenus præbuerunt, definunt eandem sibi exhibere, nec hostiliter tamen vel frigide se invicem tractant, ne hoc tanquam signum interpretetur, quasi eorum amor atque

P Q²

exi-



existimatio nostri imminuta sint; sed ut inde potius colligamus, quod sufficientem certitudinem mutua amicitiae & amoris reciproci consecuti sunt, caperintq; alter cum altero jam confidentius conversari.

50. Tertio quod bi qui reciprocí sui erga nos amoris jam certos nos reddiderunt, aut non verè nos ament, aut naturam amoris non intelligant, quando adhuc indefitenter continuationem hujusmodi officiositatis à nobis exposcent, & si eam intermittemus, negligentem quandam frigiditatem nobis imputant, cum loco hujusmodi minutorum signorum amorem nostrum quotidie exhibitione officiorum longe præstantiorum temtemur.

51. Duæ autem sunt Virtutes præstantiores sollicitam officiositatem in Amore consequentes, quarum altera est *Confidens Beneficentia*, quâ èò elaboramus, ut Amorem, qui hactenus saltem ut περίποσις aliqua emicuit, alter alteri longe proprius significemus, & corda nostra arctiori vinculo magis magisque conjungamus. Altera est *Amica Communio* omnium eorum, quæ antea ut privata nobis vendicavimus, quæ est signum, istam conjunctionem jam ad summum fastigium esse enectam, & in veram Unionem esse conversam. De utraque paullo explicatius agemus.

52. Ac quod *Beneficentiam* attinet, de hac nobilissimâ virtute, præter *SENECAM*, nemo, quod sciam, luculenter commentatus est; Is in septem libris de *beneficentia* quos me-



moriæ prodidit, quæstiones multas difficiles atque intricatas eleganter quidem, sed confuse & subobscure enodavit, ita ut latissimum campum nobis videamus objectum, si hanc materiam pro dignitate sua tractare velimus. Atque hæc quidem disquisitio eo magis videtur ad doctrinam moralem necessaria, quò propius hæc Virtus ad Amorem pertinet, & quo minus ea in vulgatis libellis Ethicis tractari solet; imo quò frequentius graviusq; in comuni vita contra regulas fundamentales virtutis impingitur. Insigne tamen compendiū obtinebam⁹ præ Seneca, nec nimiā prolixitate egebimus, si rem ordine tractabimus & imprimis de *justa Beneficentia definitione* nobis prospiciemus; Præsertim cum manifestum sit, definitionem a Senecâ truditam rei non exquisite congruere, eumq; differentiam quidem inter *Beneficia* & *comunia officia humanitatis* cognovisse, sed non semper eam accurate observasse, nunquam verò hanc beneficentiam à *sollicita officiositate* distinxisse.

53. Igitur Confidens *Beneficentia* est *Virtus hominem compellens ut persone illi, quam per sollicitam officiositatem satis exploravit, jamq; certus est initium amoris ejus reciprocis se obtinuisse, ad testandum amorem suum erga eam atq; Fiduciam in ipsa collocatam, quæcumque oblata occasione, etiam cum jaclura facultatum suarum cumque exquisitissimo labore atque molestia, sine ullius mercedis affectatione in egestate sua succurrat, ejusque desideriis vere satisfaciat.*

54. Confidentem *Beneficentiam* hanc virtutem vocavimus, diximusque *beneficos* nos esse



dubere, ut alter alteri fiduciam suā demonstret. Æque enim consentaneum est, ut *Fiducia seu Confidentialia, Beneficentiam præcedat*, quam ut *Æstimationis præcedat* sollicitam officiositatem. Quoad officiositate adhuc utimur, inter spem & metum versamur, & consequenter nondum gloriari possumus de Confidentialia; Quoad amorem adhuc quærimus, dubitamus; & dum dubitamus, adhuc paulisper diffidimus. At ubi is jam coepitus est inveniri, necesse est ut jam definamus quærere ac dubitare, & ubi sollicita officiositate alter alteri in interiora cordis quasi mentis acumine penetrat, ibi necessum est ori-ri *Confidentialiam*, personam amatam nec posse, nec velle nos decipere. Imo tum necesse est ut incipiamus alter erga alterum *confidentes fieri*, quia reciproce intelligimus, alterius actiones alterum non posse amplius late-re, nec esse quamobrem aliquid mutuo disfimulemus.

55. Porro ut si sine præcedente Æstimatione nullus Amor vel Officiositas rationalis est: ita nulla quoque *Beneficiencia rationalis est, nisi Confidentialia præcesserit*. Adeoque hoc respectu insignis differentia est inter officia sollicitæ officiositatis & inter beneficia, quia *Confidentialia illius Filia, hujus vero Mater est*.

56. Inde vero necessario consequitur, nunquam id habendum esse pro veris beneficiis, sicut in primordio amoris, & antequam reciprocum alterius amorem polliceri nobis queamus, nobis reciprocum, vel

vel saltē alteruter alteri ejusmodi officia exhibeāmus, quæ cum jactura facultatum nostrarum, vel cum periclitatione noſtre valetudinis aliorumque bonorum ſint coniuncta. Id enim eſt margaritas porcis obſicere, & bona diuinitus nobis largita, ut amicis ac amore dignis hominibus ea impendamus, inutiliter ac impie dilapidare.

57. Imo non errabimus ſi de hujusmodi hominibus, qui officia ſumptuosa magnoque cum periculo coniuncta ignotis exhibent, hoc judicium feramus, eos vel prodigos eſſe, vel temerarios; vel ſi aliis ex signis deprehendamus, his vitiis eos vacare, certiſſimi eſſe poterimus, quod bi qui ea nobis exhibent officia, non id querant, ut nobis bene fit, ſed ſue commoda promovere ſtudeant, adeoque ob has ipsas rationes officium præſtitum fictis beneficiis annumerandum ſit.

58. Nec putandum tamen eſt, prærequisitam ante beneficiorum præſtationem cautelam ſemper ad longum temporis intervallo extenden- dam eſſe, ac ſupradictum judicium ferendum eſſe de omnibus qui beneficia nobis exhibent, ſi diu nobiscum non ſint conversati. Sollicita offi- ciositas tamdiu durare debet, donec alter alterum exploraverit. Iam quo major eſt duo- rum animorum ſimilitudo, eò citius ſe mutuo cognofcunt. Hinc duæ personæ qui valde a- perto corde ſunt, ſe mutuo in unica conver- ſatione, breviique tempore non poſſunt non cognoscere, mutuoque ſe amare, & occaſionē data mutuam ſibi beneficentiam demonstrare,

P Q 4

ita



ita ut ob brevitatem temporis officiositas inter ipsos vix animadvertisatur.

59. *Magis adhuc sanæ rationi adversatur eos amare, eisque beneficia exhibere, qui nos odio habent, vel certe significant se nos redamare non posse. Qui nos oderunt, eorū odium necessariò indicat inaequilitatem animorum, adeoq; vel personam quam amamus, vel nos ipsos necessum est esse vitiosos. Idem statuendum est, si amor reciprocus nobis negatur.* Neque enim existimandum est id inde fieri, quod persona ea, quam amamus, longius in virtute progressa sit, cum nos adhuc tyrones simus in virtute; vel ex adverso eam longo intervallo nos in virtute sequi, adeoque excellentiam virtutis nostræ ferre non posse. Iam supra notavimus, diversos gradus hominum virtutis studiosorum ipsorum studio virtutis nequaquam obesse, solamque similitudinem inclinationis ad virtutem ad verum amorem excitandum sufficere.

60. Quare ex eâdem ratione manifestum est, multos Scriptores conceptum suum de amore rationali male formasse, quando in eius representatione ejusmodi homines inducunt, *qui præ amore erga mulierem, qua se redamaturam eos detrectat, in morbum incident, imo moriuntur.* Cum rationi contrarium sit amare aliquid quod nequimus obtainere, quia prima regula Voluntatis humanæ in eo versatur, ne quid desidereremus, quod nobis est impossibile.

61. Igitur post cautam officiositatem confiden-

dentiâ apud utrumque amantium enatâ , cum corda mutuo sibi demonstrarunt, quod ad Unionem utrobique inclinent, nondum autem actu sunt unita, sed uteisque privatis suis possessionibus adhuc fruitur, actionuque suarum dominium quoddam sibi vendicat, non possunt non utrobique incipere de bonis suis, deque actionibus suis non parum sibi mutuo impertiri, propiusque se alter alteri conjungere. Nam et si quis opponere vellet, Unionem hanc effici posse, si alteruter saltem alteri quomodo cunque benefaceret, actiones suas voluntati alterius subjiceret, & ex suâ tantum parte hanc unionem perageret, supra tamen demonstravimus, unionem in amore hominum ejusmodi esse oportere, ne alter dominium quoddam in alterum sibi arroget; imo jamjam diximus, nullum amorem rationalem sine amore reciproco alterius esse posse. Ideoque *mutua Beneficentia est pars necessaria amoris.*

62. Patera certissimum etiam signum est amoris. Vera beneficia non possunt aliunde, nisi ex Amore rationali proficiunt. Amor irrationalis hominum voluptuosorum & ambitiosorum, uti nil aliud est nisi amor fictus, ubi alter alterum subjugare conatur, ita beneficia ibi occurrentia ficta solum sunt beneficia, cum non nisi privatas utilitates sapiant.

63. Hinc verus amor à ficto nulla re melius quam hac dignosci potest. *Officia humanitatis*, cum non indicent amorem particularem, sed quibuscunque hominibus exhibenda sint, &

P Q 5

in



in rebus tam levibus consistant, ut pro officiis amoris venditari nequeant, æquè in *amore ficto* quam vero deprehendi possunt.

64. Par ratio ferè est *officiorum sollicitæ officiositas*, cum non sint majoris pretii quam officia Humanitatis, eoq; solum ab illis discrepent, quod in Humanitate omnes homines æqualiter tractamus, & per eandem nos etiam aliis æquales putamus, in Officiositate autem, uti diximus, aliis per certa signa discriminem quod inter eos aliosq; habemus, significamus, & sepius iisdem nos valde submittimus. Ita vero *amor irrationalis* æquè ac *rationalis* uti potest hanc Officiositate, nisi quod in amore ficto ea valde fese prodat, cum necesse sit eam esse affectatam.

65. Etsi autem *Beneficentia* tam ab Humanitate, quam ab Officiositate ita distinguatur, quod *Beneficia* oporteat esse *preiiosa* ac *operosa*, tamen hoc discriminem nondum sufficit ad discernendum amorem *rationalem* ab amore *irrationali*, quia hic adeo non vacat sumptibus atque labore, ut plus etiam hinc *sumptuum ac laboris* impendatur, quam in amore rationali, cum amor irrationalis ardenter sit quam rationalis, hoc ipso, quod irrationalis est.

66. Imo ipsa *Vita periculo* exponitur æquè in amore irrationali, quam in amore rationali, quia momentanea voluptas vel inanis gloriola tanti æstimatur quanti vera animi tranquillitas à virtutis studiosis.

67. Sola ergo hæc differentia relinquitur inter *vera & ficta beneficia*, quod in *bis privata-*
com-



commoda quæruntur, in illis autem hoc intenditur, ut personæ amatae nostris officiis *bene sit*. Idemque præcipuum discrimen est inter *amorem rationalem & irrationalem*.

68. Quicunque rationaliter amat, quamprimum animadvertisit personam dilectam ope ac facultatibus suis indigere, non expectat donec auxilium suum exoretur, sed dilecto *beneficio sua ultrò offert*, absque morā, summaque cum contentione, eumque *orat*, ut ea accipiat, dubitarique potest, utrum is cui exhibetur beneficium plus capiat delectationis ex fide amici, quam qui præstat beneficium gaudii lentit, quod personæ dilecta beneficerit. Et quia hanc delectationem omnibus in mundo rebus præfert, onnem laborem suum, facultatesque suas pro nihilo habet, quibus eam mercetur. Imo cum magis vivat in persona dilecta, quam in seipso, vitam etiam suam ultrò ac lubens *pericolo exponit*, verosimili saltem & mediocri spe nixus, vitam amici hoc beneficio servatam iri. Imo mille vitas, si tot vitas haberet, non recusaret periculo objicere, amici servandi causa. Quod si autem videt omnino id esse impossibile ut amici vita servetur, tum *propriam vitam conservat*, nec mœrori adeo indulget ut quicquam agat quod se dedebeat, cum hoc amico non proposit, sed aliis potius qui ope sua indigerent, auxilium surriperet.

69. Porro cum vera Beneficia intendant delectationem ejus, cui ea præstantur, Amor

ra-

rationalis sollicitus est, ut ea h̄ic eligat, quibus is quem amamus delectatur, non quæ ipsi maxime arrident. Deinde huic qui amatur invito non obtrudit beneficia, si is eisdem non eget, imo magis delectatur, si amicus ea gaudeat conditione, ut ope sua non indigeat, quam si eum ad momentum saltem videat in statum infelici detrusum, in quo opem ejus implorare cogatur.

70 Sed cum Amor rationalis semper intendat veram aliquam oblationem, ea verò extra virtutem & tranquillitatem animi eam consequente non reperiatur; confidens beneficentia ejusmodi solum officia amoris exhibet, que non obsunt rationi, nec tranquillitati animi. Nam si amicus data opera expetat contraria, alter significaturus esset, eum non esse virtutis studiosum, adeoque eum se esse redditurum indignum amore ac beneficentiâ. Sed si amicus ea ex ignorantia potius quam ex malitia, item ex imbecillitate efflagitet, homo sapiens ideo amico vel amicæ suæ amorem suum equidem non subtrahet, nec ejus tamen desiderium explebit, sed contrarium ipsi præstabit. Adeoque hoc casu beneficium dici poterit in eo consistere, si ea non faciamus, quæ amici postulant, quia certi sumus fore ut repulsa boni apparentis desiderati amico veram oblationem præstet, isque aliquando gratias agat, quod peccatum suum recusaverimus.

71. Be-



71. Beneficiorum factorum diversissima ratio est; Vulgo consueverunt ut eum qui eorum indiget auxilio, diu patientur *frustra expectare* atque orare, quod carius desideratum beneficium vendant. Non sollicitant alios ut accipiant beneficium, sed si in minima re peccaverint, beneficium ipsis iterum *subducunt*, priusquam ejus plenarium usum perceperint. Ita vero hoc agunt, ut *gaudium* ejus qui fruitur, hoc beneficio perquam sit exiguum; Imo non tam gaudet praestito beneficio alteri bene esse, quam hoc ipso occasionem sibi præbitam æqualia vel majora ab ipso postulandi. Impensos sumptus ac labores carissime alteri imputant, ejusque amicitiam atque amorem nihili faciunt, si abunde ipsis officia eorum compensare nequeat. *Vitæ* quidem *discrimen* subeunt in amore irrationali, sed pro obtainendâ saltem voluptate vel similibus desideriis, non pro homine, quem se amare simulant; Imo non reverentur mille amicos abdicare, si hœc propriam vitam salvare possent. Nec insolens tamen est, etiam in amore irrationali *mortem sibi conscientiæ*, si videant præemptam sibi facultatem, explendæ voluptatis suæ aliorumque affectuum.

72. Deinde cum in factis Beneficiis privatas utilitates oblationesque respiciant; ea præstant amicis, quibus ipsis benefacientibus bene est, nec curant, an his amici delectentur, nec ne. *Eaque aliis obtrudunt*, quia ea nec ex-

pe-



petunt, nec eorum indigent. Magnumque aliis *malum imprecantur*, ut oppressis liberalitatem ac beneficentiam suam significant, hisque beneficiis eos sibi obnoxios reddant.

73. Denique cum amor irrationalis semper in inquieta delectatione fundetur, ea maxime aliis exhibent officia, quae virtuti sunt *contraria*, animique tranquillitatem turbant, partim ut amicos vicissim ad eiusmodi irrequieta officia paratos habeant, partim quod ex eorum petitis intelligunt eos sibi esse similes. Imo cum vident amicos (cum ipsis paullo sint prudentiores) erubescere ut ea expetant, vehementius eos ad hæc incitant, ac si quid honestum à se postulent, tanquam imprudentes eos irrident, vel alio modo eos decipiunt, dum infinitas præstigias conquirunt, ut sub aliquo prætextu petitus eorum recusent.

74. Itaque jam intelligis, cur supra in definitione Beneficentiae dixerimus, eam præstari debere *sine intentione mercedis*, cum in eâdem non privata commoda quæramus, sed ut amicis bene sit. Certe beneficiis *cor amici*, nobis jam conciliatum proprius nobiscum unire conamur, atque id omnes utilitates longe antecellit, neque hoc tamen *privata nostra commoda* quærimus, imo ne ipsis quidem beneficiis, sed corde nostro, cuius beneficia saltem testimonium sunt, *cor amici nobis lucrifacere* volamus,

75. Nec



75. Nec unquam tamen Beneficentia *vacat* spe mercedis, cum certo sciamus amicorum a-morem eos incitaturum, ut gratos se nobis exhibeant. *Gratitudo* enim est Virtus Beneficentiam *natura* *potest* sequens. Ea vero nil aliud est nisi *Impulsus*, quo accepta vera beneficia non solum statim accipiamus, cum significatione eanobis grata esse, sed & elaboremus ut vel ista beneficia beneficiis compensemus, vel saltem, deficiente facultate vel occasione, cum verbis tum factis, quantopere id cupiamus, contestemur.

76. Cæterum *Gratitudo* hoc cum Beneficentia commune habet, quod extra verum amorem nec *Vera Gratitudo* locum habeat; Si quis siēta solum beneficia mihi exhibuit, eo modo quem nuper indicavimus, non sum ingratus si ea compensare nolo, præsertim si nobis invitae ea sint obtrusa. Ac licet ea compensem, tamen hoc non est *Gratitudo*, sed persolutum pretium ejus rei ab altero non ut beneficium mihi præstite, sed tanquam parata pecunia mihi commodatae, quam alio nomine etiam non accepi, nec accipere debui.

77. Porro uti de *Beneficentia* difficulter judicari potest, verane ea sit an apparens, nisi quis verum amorem in corde suo ipse deprehenderit, & amorem siētum agnoscere didicerit; ita difficile etiam *judicatu* est, *gratusne* alter sit, an *ingratus*, nisi quis dictum veræ gratitudinis fundamentum accurate intelligat. Hoc rerum statu autem mirum non est, cum paucissimi aliis hominibus vera beneficia exhibe-

ant,

ant, cur omnes suam iactent beneficentiam, aliosque de ingratitudine accusent, quam nemo tamen vult agnoscere. Vivimus enim in ejusmodi a-vo, ubi virtutibus vitiorum nomen est imposi-tum, vitia vero mentito nomine virtutum superbiunt, & plerique hominum de amore ra-tionali, & de virtutibus eò pertinentibus judi-cant, ut cœcus de colore.

78. Denique ut Amor coactionem non patitur, & sicut omne quod coactum est, pro beneficio haberi non potest; ita ad Gratitudo-nem nemo cogi potest, & is nihilominus manet ingratus, qui coactus est ut amico bonum retribuat.

79. Rursum inter Beneficentiam & Gratitudo-nem insignis est differentia, quod nemo pos-sit existimari beneficus, nisi qui amico suo reapse be-neficia exhibeat, cum quis possit esse gratus, et si alteri nil boni retribuat, si deficiant occasio ac fa-cultas istud efficiendi, dummodo volunta-tatem suam ei inserviendi luculenter demon-stret.

80. Nec longius tamen hoc est extenden-dum, nec ex jam dictis concludendum, hanc eti-am inter dictas duas virtutes differentiam inter-cedere, quod hac ratione nemo non possit esse gratu-s, sed multos prohiberi, ne sint benefici, si nimirum inopia premantur ne beneficia exerant. Adeo-que pauperes ineptos esse ad amandos alios, certe Beneficentiam non esse partem tam necessariam hon-estam amoris. Id enim ex hypothesi nostra nullo mo



modo sequitur. Potest alicui deesse occasio alteri reapse beneficiandi, & que ac occasio deficit potest alteri realem gratitudinem exhibendi. Potest aliquis carere facultate alteri exhibendi beneficium, quod is petuit sibi exhiberi, & que ac facultate nonnunquam destituitur, ne quid certi alteri loco Gratitudinis praestet. Sed non sequitur, ullum hominem, nem dum virtuosum carere facultate alteri beneficiandi. Beneficia non in sola opum imperitione consistunt, sed in collocatione actionum omnium humanarum ad commoditatem alterius. Non vitam quisque habet, quam pro altero potest amittere? Non sapiens insuper habet bonum consilium, quo alterum è bestialitate eripiat, ejusque intellectum & voluntatem emendet? Hæc beneficia longe nobiliora sunt, quam commodatio omnium thesaurorum.

81. Ecce tam facilibus perspicuis tamen, fundamentis, nititur doctrina de Beneficentia & Gratitudine. In paucis hisce paragaphis concentrata sunt omnia, que Seneca tam prolixo, licet confusus, & nonnunquam secundum consuetudinem Stoicorum magis problematice, quam clare manifeste ac evidenter in libris suis de Beneficiis tradidit. Tantum momentum situm est in genuina rei definitione inque bono ordine.

82. Sequitur *indivisa Communio omnium facultatum, omniumque actionum secundum rectam rationem instituarum, tanquam plenaria demonstrativa.*

R.

stra,



stratio amorem rationalem jam ad perfectiōnem suam pervenisse. Posteaquam sollicitā officiositate in extremo atrio amoris rationalis, quod omnibus patet, aliquantis per commorati sumus, deinde per Beneficentiam in medium ejus Conclave, in quod paucis patet aditus, intravimus, tandem in arcana intimaque amoris penetralia ascendimus, Beneficentiā atque Confidentiā utrobique sēpius repetita cordibus amantium tam arcte ac indissolubiliter connexis, ut ambo in unum cor unamque animam quasi coaluerint. *In his itaque penetralibus, ubi verus amor thronum suum habet, necesse est omne privatū rerum dominium cessare, omniaque oportet esse communia, cum omne rerum dominium plures vel duas certe personas distinctas, easque non admodum concordes naturā suā presupponat, & ex defēctu amoris & è discordia prognatum sit.*

83. Hæc prolixè alibi persecuti sumus, quando demonstravimus, primavam aliquam fuisse bonorum communionem, privatum vero dominium inde cœpisse, è rupto nimirum inter homines vinculo amoris, solumque hoc respectu dictam communionem statui hominum corruptissimo non congruere. Deinde *historia etiam ecclesiastica ostendit in primitivā Ecclesia novi Testamenti, fervente adhuc amore Christiano, omnia etiam bona inter primos Christianos fuisse communia.* Posterius tamen hoc non allegabimus hoc loco tanquam potissimum argumentum, cum quod Amor Christia-

stianus amore rationali, de qua in Philosophia nostra morali agimus, longe nobilior sit, tum quod nonnulli eruditorum statuant, non omnia bona primis Christianis fuisse communia, quam controversiam prolixe examinare nostrum non est instituti.

84. Nec confugiemus ad autoritatem Platonis, quem notum est ad Reipublicæ perfectionem requirere, ut omnia in ea sint communia, partim quod is in hac doctrinâ longius excedat, eamque ad communionem etiam uxorum extendat, de qua ultimo capite aliquid notabimus, partim quod non consueverimus ad confirmationem hypothesis nostrarum ab autoritate ullius hominis subsidium petere. Sufficit eandem jam ex ipsa amoris natura nos perspicue deduxisse.

85. Itaque nil reliquum est, nisi ut objections aliquot, quæ è regulis communis rationis humanæ afferri possent solvamus. Vulgo putant, introducta communione bonorum futurum ut discrimen Statuum vite humanae & societatis civili penitus tollatur, & turpissimum otium, vel certe injusticiam hanc late introductam iri, ut ignavi qui laborem detrectant, meliori sint loco quam laboriosi, dum ex aliorum labore amplissimam utilitatem æque capient, laboriosis vero ab ignavis nullum plane emolumentum accedit, quare maxima inter homines inæqualitas introduceretur, adeoque adversus regulas



universalis hominum amoris enormiter peccaretur.

86. Non diffitemur equidem videri hanc objectionem primo intuitu magni esse momenti. Plerique etiam eruditorum haec tenus nil invenerunt, quo hanc è medio tollerent, sed hac objectione se passi sunt seduci, ut communionem bonorum ideò capitali odio persequerentur, & dominium privatum præter meritum laudibus eveharent. Sed quo non ab ripimur operatione longa temporis præscriptio ne introductâ, quam videmus à multitudine, defensam atque propugnatam? Fateor *communionem bonorum tollere præcipuam quandam, hominum differentiam, è quâ plures aliae Statuum differentiæ in humana societate dependent, discribenim nimirum quo alii pauperes alii divites sunt*, & profectò si non esset privatum dominium, nemo nec pauper esset, nec dives, sed quisque tantum haberet, quantum sibi sufficeret.

87. Sed utinam nemo vel pauper esset, vel dives. Alius abundat, alius eget. Utrunque malum est & pro insigni habendum est defectu. Inopia & divitiae fere omnium litium inter homines origo sunt. Et si communio bonorum nullum alium defectum importat, nisi ut quisque habeat, quantum sufficit, certe non habes quod adversus eam prætendas, cum is jam maximam partem tranquillitatis animi sit adeptus, qui suâ sorte contentus est.

88. Et



88. Et licet à differentia opulentorum & pauperum, sive à dominio possessionum introducto plures alii Status dependeant, dum quisque eò impellitur, ut in Republicâ aliquid excoigit, quo pecuniam lucretur, tamen hi Status fere sunt ejusmodi, *quibus hominum fultitia & vanitas magis magisque corroboratur*, dum quisque studet inventis suis subinde aliquid novi in medium afferre, quo animos hominum vanæ curiositati intentos ad se pertrahat, vel occasionem ipsis præbeat, ut se ab aliis hominibus, tanquam his præstantiores eò magis segregent, vel sub prætextu generi humano inserviendi, hominibus mille modis incomdent. Quis vero prætenderet, detrimentum Reipublicæ inferri, si communione bonorum hi Status abrogarentur & mutarentur, cum Reipublicæ potius tantum obsint, ut, teste quotidiana experientia, leges politicæ innumeris vicibus repetitæ malum per hos status introductum radicitus tollere non valeant.

89. Oggeris: Introducță communione honorum ipsam tolili *Rempublicam*, & si dominium non esset, neminem subjectum fore, sed sua libertate uti velle. Ita vero vinculum societatis civilis palam disolvi, quippe quod absque Magistratu & subditis concipi nequeat.

90. Sed quis non videt hanc objectionem perfectioni communionis bonorum nequam obesse. Non jam notabimus, omnes Politias ac Magistratus corruptionem naturæ



humanæ, & defectum amoris rationalis præ-supponere, & si omnes homines se convenienter amarent, nulla coactione, & consequenter nullo magistratu opus fore. Sed hoc tantum monebitus, *Dominium bonorum & societatem civilem necessariò non esse conjuncta*, sed alterum sine altero esse posse. Nam introductio dominii sine dubio prior fuit societate civili, ac si id omnino causa esset communis alicujus societatis humanæ, certe causa esset societatis herilis, quæ non esset, si bona omnia essent communia.

91. Ac *Societas* quidem *civilis* multiplicato genere humano, & jam introducto dominio etiam exorta est, æquetamen consistere potest, etsi hi qui in societate civili unà vivunt, *privatis bonis careant*. Originem suam habuit à formidine externæ violentiæ, & licet vis ista magna ex parte bona aliorum hominum respiciat, tamen inde non sequitur, bona hæc quæ totius Reipublicæ propria sunt, non posse omnibus ac singulis sub ea republica contentis, esse communia. Quin vis externa nonnunquam magis respicit libertatem actionum humanarum, quæ pauperibus æquè ac divitibus communis est, ita ut aliqua etiam Reipublicæ utilitas ac necessitas foret inter homines qui loco amoris rationalis sè mutuò oderunt, etsi nullum esset dominium bonorum.

92. Cæterum dominiū bonorum omnes fere Reipublicæ status ita occupavit, ut primo intui-tu

tu vix intelligi queat, qualem Respublica formam habitura sit, si non esset dominium. Sed ingeniosus quidam autor *anonymus* hoc one-re jamjam nos levavit, *scrupulumq; hunc nobis exemit*, dum sub *prætextu*, quasi *gentem nuper detectam, quam Sevarambos vocat*, secundum formam regiminis & ritus ipsorum historicè describere vellet, formam reipublicæ in quâ bona omnia essent communia, tam affabre & erudite depinxit, ut ne minimum quidem dubium quoad possibilitatem relinquatur, nisi malitia animos hominum tantopere occupasset.

93. Idem Autor multis speculationibus simul nos levavit, quâ ratione objectio supra-allata superanda sit, quod per introductionem communionis bonorum *ingentem quandam & iustam inegalitatem inter ignavos & laboriosos simul introduci oporteat*, dum evidentissimè ostendit, quam facile hoc possit institui, ut etiam *introductione communione bonorum totus populus æqualem laborem & æqualem respirationem habeat*, modo otium, ut flagitium turpisimum & perniciosissimum, severè puniatur.

94. Adde *Ignaviam & Otium* maxima esse indicia *hominum imprudentum*, magnisque vitiis hanc rem publicam abundare, in quâ multi dantur ignavi & otiosi. Homo ad laborem conditus est. Labor valetudinem hominis conservat, vitam ejus prorogat, imo non solum eum reddit idoneum, ut veras delectatio-



nes omnes percipiat, sed & facit ut ei in summo gradu bene sit, dum prohibet, ne ultum ipsi tempus longum videatur. Hinc impossibile est, ut communio bonorum ignavos efficiat, cum locum non habeat nisi inter prudentes.

95. *Instas, sublato dominio bonorum omnem tolli beneficentiam, quia beneficentiam exerceo, cum alteri aliquam partem bonorum meorum impertio, non cum ei concedo ut bonis communibus fruatur. Sublata autem beneficentia anima quasi amoris extincta est, aīs, & vinculum, quo duo corda uniantur, diruptum. Vides itaque evidentissime communionem bonorum tranquillitatem animi magis impedire, quam promovere.*

96. Hæc objectio facilius refellitur, quam prior illa, cum ejus sophismata prioribus sint crassiora. Primum enim *communio bonorum beneficentiam non penitus tollit, cum, per superius dicta, vel pauperrimus homo amico suo actionibus suis summa exhibere queat beneficia.* Deinde præsens caput docet beneficentiam medium quidem esse, hominem è statu dissidentiæ in amorem confidentem colloquandi; sed ideo non est anima, sed proximum saltem atrium amoris, & manifestum est, præstare ut homines in tam beato statu viverent, ut non opus haberent per hæc atria in intima amoris penetralia intrare. *Quin teipsum tandem interrogo, utrum beneficium majus statueres,* si



si amicus tuus optionem tibi daret, eligere, ut vel aliquas subinde portiones facultatum suarum tibi impertiretur, vel ut opes suas universas tibi simul & semel communicaret? Credo equidem futuros esse homines tam corrupto gustu, qui illud potius quam hoc eligant, sed hanc electione animum suum irrationaliter obnoxium palam prodent,

97. Pergis tandem querere, an serio statuam, ut sublato dominio, communio bonorum introducatur, ut Amor inter homines penitus introducatur, latiusque extendatur? Enimvero quam periculosa ac dolosa haec est questio? An putas hypocrita, quod hac interrogatione me velis irretire? Vellesne podagrico consilium dare, ut quamdiu podagrā laborat, utroque baculo leposito, in hypocausto circumsaltet, ut crura ipsi sanentur & confirmentur? Certum tamen est duos baculos sanis hominibus nullius usus esse. Caput primum jam docuit, ea quae hominibus in statu ordinario viventibus bona sunt, mala esse his qui vivunt in statu extraordinario. Pædantæ & hypocritæ emendationem hominis a posteriori incipiunt, sed vir sapiens fundamentum malī prius eradicare studet. Necesse est communionem bonorum mille parere incomoda apud homines qui amore vacant. Perduc primum homines ad Amorem, etiam dominium quam communio bonorum omni difficultate carebit.

98. Porro quemadmodum Amor perf-

R 5

ctus



Etus bona omnia facit communia, ita inde etiam oritur *communio actionum omnium secundum rectam rationem institutarum*. Nimirum ne amplius posthac amicus amicum, sicut in Beneficentia, sollicitet, ut actionibus suis ipsi inseriat, & deinceps accepto beneficio ingentem delectionem sentiat, quod in eo consistit, ut hoc praestito beneficio amicum sibi magis magisque reddat obnoxium; sed ut *maxima cum confidentia alteri commonstret*, quomodo & quibus in rebus eum se adjuvare sibique commodare cupiat, nec deinceps novum gaudii motum sentiat, sed quod antea vidit, naturam amoris hanc libertatem sibi concedere nec amicum suum petitum ulla ratione nec posse nec velle recusare, in priori sua quiete perpetuo permanet.

99. Id vero *Communio* tantum est, non *Imperium*, quia alteruter amicorum idem ab altero expectat, idemque alteri concedit, quo erga illum utitur. Adeoque intelligis, in Beneficentia motum animi non admodum quidem irrequietum, nec tam quierum tamen ut in Communione dari, cum in Beneficentia amor adhuc versetur in crescendo, adeoque motus ejus eo sensibilior sit. In Comunione verò summa perfectio jam obtenta sit, cumque motus ejus nil mutabile in se contineat, vix etiam sentiatur.

100. Sed hic fortasse nobis objicies, quod supra capite primo monuerimus, motum omnem, vel crescere debere, vel decrescere, &



& hinc necessum esse, ut amor duorum animorum virtutis studiorum cum ad perfectionem suam jam est evectus, similiter iterum decrescat. Si vero decrescat, aut amorem hunc ineptum esse medium ad summum bonum pervenienti, aut tranquillitatem animi summum bonum esse, non posse, cum sit vana imaginatio, dum omnia, ut dictum est, vel crescere vel decrescere oporteat, & per consequens constanter non possint quiescere.

101. Quomodo hanc objectionem amolierum, cum eanos arctissime videatur constrin gere, & à primis regulis fundamentalibus doctrinæ nostræ petita sit? Breviter nos expediemus. Verum est, id quod crescere amplius non potest, necesse est decrescere, & amor duorum hominum sapientum, quando jam ad perfectionem venit, amplius *inter ipsos* augeri nequit, alias non esset perfectus. Ideo tamen non decrescit, sed *latius sese extendit*, & quia inter duos istos crescere amplius non potest, incrementum suum quærerit in eo, ut plurimum corda ad se trahat, atque contendat, quâ ratione se quam latissime in aliis hominibus amplificet. Atque hoc est, quod supra diximus, tranquillitatem animi semper quærere, ut cum aliis hominibus ad eam contendentibus sese conjungat.

102. Nam ut odium duorum hominum brevi temporis intervallo quodam quasi contagio augetur, pluresque alios corripit; ita du-

dubium non est, quin exemplum duorum animorum virtutis studiosorum perfecte se multo amantium itidem utrobique plures hujusmodi homines alliciat, ut inter se uniantur. Omne principium grave. Sed unico tantum exemplo bona rei semel proposito magis edificamur quam centum perspicuis præceptis. Quæ cum ita sese habeant, verendum non est, ne tranquillitas animi, deficiente incremento, decrescere cogatur, quandoquidem tamdiu crescere potest, dum totum genus humanum non concordat, vel et si se omnes mutuo amarent, dum quotidie illud liberorum procreatione multiplicatur. Desine potius mirari, cur amor rationalis haec tenus tam parum se extenderit. Caremus exemplo amoris rationalis inter duas personas quæ ad summam perfectionem pervenerunt.

Quomodo igitur speraremus multorum corda hac ratione secum esse unita?

CAPUT VII.
DE
COLLATIONE DIVERSORVM
GENERUM AMORIS RATIO-
NALIS PARTICULA-
RIS.

SUMMARIUM.

Connexio n. 1. Amor rationalis vel æqualis est, vel inæqualis. n. 2. Ille est vel hominum duorum in virtute perfectorum, vel in virtute tyronum. Hic vel

vel superiorum vel inferiorum. n. 3. Quinam horum generum amor sit fortissimus, gratissimus & excellentissimus n. 4. Differentia trium Virtutum superioris capitum intuitu horum generum distinctorum. n. 5. In amore inæquali reperitur singularis quædam προτίμησις n. 6. Diversitas sollicitæ Officiositatis pro differentia amoris æqualis & inæqualis. n. 7. 8. In amore æquali ea utробique simul incipit, inter inæquales ordinarie incipit inferior. n. 9. Officiositas in amore illo tyronum diutissime durat. n. 10. Quo diutius duo officiositatem sibi mutuo exhibent, eo magis inde apparet eos adhuc esse imperfectos, vel amorem eorum plane non esse rationalem n. 11. Par ratio est in duratione Beneficentiae. n. 12. Amor maxime irrationalis & maxime rationalis citissime scopum suum attingunt n. 13. Amor inæqualis plus habet sensibilis delectationis, quam amor æqualis isque excellentissimus. Sed amor imperfectus æqualis plurimum habet sensibilis delectationis. n. 14. Alia beneficia præstat amor perfectus, alia imperfectus æqualis. n. 15. In amore inæquali aliter se gerit persona imperfectior, aliter perfectior. n. 16. Communio bonorum, omniumque actionum in amore excellenti æquali solum reperitur. (Potest aliquis carere privatis bonis, nec in ulla tamen communione vivere) n. 17. nihilominus Communio est virtus quæ ad amorem rationalem in genere pertinet. n. 18. Hodie infimus etiam gradus amoris rationalis rarissimus est. n. 19. Responsio ad nonnullas quæstiones (I) Utrum plus delectet, Amare, an Amari? n. 20. 21. (II) An magis delectet in amore alios erudire, quam ab aliis eruditiri? n. 22. 23. (III) Utrum fortior sit amor è naturali inclinatione profectus, an is qui est è Gratitudine? n. 24. 25. 26. (IV) Uter amor sit diuturnior, perfectus ne an imperfectus, æqualis an inæqualis n. 27. 28. 29. Cum amor imperfetus

Etus

Etus rationalis decrescit, fere in trigiditatem degen-
erat, irrationalis vero in odium & contemptum.
n. 29. (V) An turpe sit, ut foemina prior amet,
vel amorem suum prior significet? n. 30. Aman-
do initium facere non semper est signum imperfe-
ctionis. n. 31. Imperfetio in amore non est tur-
pis. n. 32. An Viro sapienti liceat amare foeminam?
n. 33. 34. 35. Vir sapiens magis amat ex gratitu-
dine quam ex affectu, & diversa praebet amoris ar-
gumenta, quam tyrones n. 36.

1.

IAm *distincta genera amoris rationalis particu-*
larii parum considerabimus, eaque inter
se conferemus. Superiori capite iam dixi-
mus quod petere eos velimus à *distinctis gradis*
perfectionis eorum, qui eandem ad virtutem
inclinationem habeant.

2. Rationalis itaque amor particularis vel
est duorum hominum *aque virtutis amantium*,
vel eorum, quorum alteruter altero magis in *virtu-*
tis amore profecit.

3. Amor *æqualis* vel duorum ad *insignem stu-*
dii virtutis gradum jam evectorum, vel tyronum.
Inæqualis amor et si semper unius generis est, vi-
delicet duorum hominum, quorum altero longius in *virtutis studio progressus* est; tamen
is respectu eorum, qui amantur, dupliciter quo-
que considerari potest, nimirum in amore *inæ-*
quali vel *superiores* vel *inferiores* amari.

4. Porro amor *æqualis* in tantum fortior
quidem est *inæquali*, quod ejus unitio ob-
geminam *æqualitatem* citius peragit, adeoque
ni-



nitus amoris fortior est; sed ideo non habet plus *delectationis* quam amor inæqualis, cum inæqualitas in duobus amantibus plus pariat sensibilitatis, imo ne *excellenior* quidem semper est, sed proxime videtur ad rationem accedere, si ratione excellentiæ amore *æqualem duorum tyronum* in primam *infimamque classem*, deinde a morem *inæqualem in medium classem*, deinde a morem *æqualem duorum in virtutis studio valde prosectorum* in *supremam classem* reponamus. Amor enim æqualis duorum tyronum plures adhuc habet infirmitates, quas ob æqualitatem suam magis alunt, quam minuunt. In amore autem inæquali is quietus excellenter semper allaborat, quemadmodum infirmitates tyronis corrigat, & ipse tyro annitur, ut his infirmitatibus consideratione boni exempli præceptoris sui sese liberet. Tamen amor *æqualis* duorum hominum *excellentium*, omnium *excellentissimus* est, quia hujusmodi infirmitatibus utrobique magis vacat.

5. Sed forte etiam reperiemus discrimen inter distincta hæc amoris genera intuitu *trium virtutum*, de quibus præcedenti capite egimus, nimirum sollicitæ *Officiositatis*, confidentis *Benevolentiae*, & plenariæ rerum omnium *communionis*.

6. Ac quod *Existimationem* attinet, quæ præcedere debet *Officiositatem*, videretur ea quidem tantum in amore *inæquali superiorum*, non *inferiorum*, nec in amore *æquali* præcedere debere; Sed definitio *Existimationis* in præceden-

denti capite tradita prompte ostendit quomo-
do hæc objec^tio refutanda sit. Nec diffiden-
dum tamen est, in amore inæquali *superiorum*
peculiarem existimationem inveniri, quæ in amo-
re æquali propter nimiam æqualitatem, nedum
in amore inæquali *inferiorum* ob nimiam persona-
rum abjectionem, non est querenda.

7. Unde porrò sequitur, cùm per superius
dicta, ex Existimatione *sollicita officiositas* fluat,
manifestum esse, quod *duplex existimatio*, quæ
tantum in amore *superiorum* deprehenditur,
etiam apud *inferiores majorem sollicitudinem ac offi-*
ciositatem operari debeat, adeoque etsi capite
præcedenti dixerimus, quod in officiis sollici-
tæ officiositatis *alter alteri mutuo se submittere*
debeat, tamen id de æquali amore potissimum
intelligendum esse. In amore inæquali *submissio*
potissimum est *inferiorum*, qui contenti sunt si
præstantiores officia cum submissione sibi præ-
stata *humane accipient*, *aliaque minuta officia* ipsis
vicissim exhibeant.

8. Sed cum Amor non alligatus sit legibus
Iustitiæ, ex hac annotatione equidem intelli-
gitur, *Virum excellentem non obstringi*, ut per
officiositatem *se inferiori subjiciat*. Nec id ei
tamen prohibitum est, ac si *se submittit*, *signum*
magis est abundantia in amore, quæ ipsa eum
magis adhuc dignum reddit, qui ametur, quam
irrationalis cujusdam stultitiae. Supra enim
jam notavimus, Amorem aliis quidem virtuti-
bus modum præscribere, ipsum vero modum
non

non agnoscere, nec nimium quid in Amore designari posse.

9. Ex eadem observatione alia fluit observatio, quod in amore *æquali* duæ etiam mentes *codem tempore* mutuo se amare *incipiant*, ac amorem suum officiositate significant. In amore autem *inæquali ordinarie inferior incipit* amore superiore, & hic amorem apud sequentem reciprocō amore deinceps compensat. Nos illud vocēbimus amorem *naturalis inclinationis*, hoc vero amorem *magnanima gravitatis*. Non desunt tamen exempla, quibus præstantiores *extraordinarie incipiunt* ambire amorem inferiorum, eoque animum amore plenum luculentius demonstrant.

10. Cæterum præced. capite aliquid etiam notavimus circa *distinctam durationem officiositatis*. Nimurum *amor æqualis* duorum hominum excellentium brevissimo tempore opus habet, quo animum alterius per officiositatem exploraret, eaque amorem ejus demereatur, quia tanto se citius explorant, quanto sunt excellentiores & virtutis magis amantes. *Amor inæqualis* aliquanto longiore mora eget, quia is qui minus est *perfectus*, imperfectionem suam sere dissimulare conatur, adeoque cum ipse plenus sit diffidentia, alteri etiam diffidit. Tamen nec hic *tanta mora* opus erit, quia *perfectior* imperfectiorem, non obstante ejus dissimulatio- ne mox explorare valet, & ut confidentiam ejus exuscitet, eloborat, ut majore sinceritate

S

cum



cum eo conversetur. Ita *amor aequus duorum animorum in virtute tyronum longissimo tempore opus habet*, quod in sollicitate officiositate consumat, eo quod utrinque multos apud se defensus deprehendant, adeoque major etiam inter eos sit dissimulatio ac dissidentia.

ii. Unde hæc Regula optime est fundata, *Quo diutius duo mutuâ Officiositate sibi obviam eunt, eo majori hoc esse argumento, quod exiguo in virtute profectus fecerint, vel certe amor ab alterutra parte plane non sit rationalis.* Imo rationalem non esse inde magis videtur verosimile, quia verus amor necessario querit Confidentialiam alterius. Quare ubi utrobique neutra pars diuturnâ Officiositate erga alteram partem confidentiâ uti incipit, vel alteruter alterum pari confidentia excipere recusat, ibi non potest sincerus, & consequenter verus ac rationalis amor expectari.

12. Circa Beneficentiam fere idem venit observandum. Ea tamdiu animos amore ad se mutuo propendentes devincit, dum mutua Confidentialia in summo gradu confirmata sit. Cum igitur in *equali excellentique amore minimum deprehendatur Diffidentia*, & duo homines excellentes mox in interiora cordis sibi mutuo penetrant; Beneficentia etiam *longam non indigeret*, dum animos utrobique plenarie uniat, cum etiam absque reali exhibitione officiorum sumptuosorum & laboriosorum, candidum desiderium pro altero etiam moriri.



riendi, in se mutuo cognoscant. Ex adverso amor *æqualis imperfectus*, ob dictam Diffidentiam ac Defectus quibuscum conflictatur, *diu-
tius opus habet Beneficentia*, quo Diffidentiam fortius subinde exterminet. Denique amor *inequalis* hic etiam *medium locum* tenet, quia propter diffidentiam & imbecillitates tyronis plus moræ quam amor perfectus, ob confiden-
tiam autem, candorem, & intimum affectum partis excellentioris minus moræ, quam amor *æqualis imperfectus*, opus habet.

13. Inde sequentem iterum observationem expendamus. *Amor irrationalis*, quia impatiens est, ubi sibi similes invenit, plerumque *scopum suum cito* assequitur. Cavebis autem, ne inde inferas, *Amorem quod magis sit rationalis*, eo *tardius pervenire ad scopum*. Nam modo dicta tibi ostendunt, *amorem rationalem maxime imperfectum omnium tardissime ad plenariam unionem pervenire*, *maximeque perfectum eadem velocitate*, imo *citius scopū suum assequi quam amorem irrationalem*, & ab hoc in eo solum dispare, ut *amorem irrationalem*, si crescere amplius non potest, rursus *decrecere* oporteat, cum jam *præcedenti capite demonstraverimus*, quod *amor rationalis semper occasionem reperiatur*, continua accessione *latius subinde seipse extendendi*.

14. Inde porro fluit, *Amorem inquam (id quod initio notavimus) plus quidem habere sensibilis delectationis*, quam amor *excellens æqua-*



lis, in amore tamen maxime imperfecto ob infinitas vicissitudines delectationis, diffidentiae, tædii, Zelotypiæ, reconciliationis &c. etiam juxta vulgare illud; Varietas delectat, plurimos gradus sensibilis delectationis deprehendi. Quo tamen excellentia amoris perfectiæ qualis nil decedit, cum quod oblectamenta in amore imperfecto cum variorum tædiorum vicissitudine conjuncta sint, in amore autem perfecto longe sint puriora, tum quod secundum fundamenta Capitis primi, & doctrinam de summo bono, quietæ oblectationes multò nobiliores sint his quæ maximam sensibilitatem carent.

15. Deinde in diversis amoris generibus insignis etiam *beneficiorum differentia* deprehenditur. Amor *equalis imperfectus* plerunque nulla etiam urgente necessitate sese demonstrat in donis rebusque pretiosis, in honore apparenti, impensoque labore & periculo, quæ sèpè tamen *bonum apparens* saltem intendunt. Sed amor *perfectus* parcior est, quia is qui amatur, divitiis, ac honore non expletur. Ideo Beneficia sua usque ad casum necessitatis servat, quo contingente ea in summō gradu exerit, quia vitam etiam in gratiam amici ultro offert, summoque periculo exponit; cum in amore imperfecto hoc amoris argumentum rarissimum sit.

16. In amore *inequali inferior superiori* denis & operosa honoris exhibitione sibi demereret
co-

conatur, quia eum adhuc ingenio suo metitur; Nec majus tamen ei præstare potest beneficium, quam *spontanea obædientia* ac operosa executione præceptorum & monitorum quotidie sibi traditorum. Superior autem in hoc amoris genere beneficentiam suam ordinariè demonstrat *fidelis consilio*, & *sollicita emendatione* cum intellectus, tum voluntatis alterius, indefessa item *patientia* erga defectus alterius resi- duos, & *confidentia*, quæ se ipsum humiliat, & alteri se exæquat, quo magis eum sibi lucrat. &c.

17. Denique quod *Communionem omnium bonorum actionumq; concernit*, utrumque obtineri non potest, priusquam per amorem plenaria facta sit unitio, isque ad summum gradum jam ascenderit. Id vero contingere non potest, nisi ambo amantes in perfectione virtutis æquentur. Adeoque communio non nisi in amore æquali perfecto speranda est; Amor inæqualis potest quidem esse ejusmodi, *ut neuter quicquam habeat priuati*, sed ideo nondum est plenaria communio, nisi utriusque (vel singulis) liceat bonis communibus uti pro libitu, sed usum horum instituere cogantur secundum consilium alterius in amore superioris, vel si plures amore hoc inæquali conjuncti sint, per distributionem certorum hominum quibus id commissum est, cum in plenaria communione cuique liberum sit de rebus communibus tantum consumere, quantum ei opus est. Tandem

S 3

in



in amore *æquali imperfecto* rerum omnium communionem tandem sperare non licet, dum si manet imperfectus, quia communionem, tum demum sequi oportet, quando duæ personæ in unum cor unamque animam jam coa-luerunt. Id vero in amore *inæquali* ob plures intermixtas infirmitates, diversosque effectus dissidentiam necessario excitantes fieri nequit. Unde amores isti nunquam ultra Beneficien-tiam adsurgunt.

18. Sed ne ipsi cogamur præcepta nostra, absurditatis accusare, dum præcedenti capite docuimus, *Communionem pertinere ad amorem particularem in genere*, jam vero eam in amore tantum perfecto *æquali* quærimus; facilis est ad hanc objectionem responsio, si dicamus, cum tria distincta genera amoris *secundum gradus perfectionis* discrepant, duoque genera inferiora eò *adspirare* debeant, ut ad perfectionem amoris *æqualis* duorum hominum, perfectorum provehantur, adeoque communionem rerum omnium quodammodo inten-dant, etsi eandem, dum in imperfectione suâ adhuc hærent, ad praxin deducere nequeant. Nam e. c. *Vir excellens* in via virtutis in gratiam tyronis quasi parum retrocedit, eoque eum perducere nititur, ut deinceps secum pari pas-su progredi queat. Et quia *duos in virtute tyrones* eo *aspirare* oportet, ut virtutem in insigni aliquo gradu assequantur, fieri non potest quin amor eorum deinceps imperfectus esse desi-nat,



nat, & ad communionem magis magisque appropinquet.

19. Hinc consentaneum est exempla amoris perfecti *equalis rarissima esse*, cum pauca admodum exempla reperiamus, ubi inter amantes plenaria sit rerum omnium communio. Sed in eo tempore vivimus, ubi *infimus etiam gradus amoris rationalis rurum quid est*, Unde multi amorem omnem irrationalem putant, vel contendunt amorem rationalem esse instar Phœnicis, qui aliud esse non habeat, *præterquam in intellectu*.

20. Iam ex hisce observationibus promptum erit respondere ad nonnullas quæstiones quas in doctrinâ de amore tanquam valde dubias, & explicatu difficiles venditare solent. (I) *Utrum plus delebet, amare an amari?* Hæc quæstio plus habet subtilitatis quam utilitatis. Nam si horum alterutrum sine altero consideremus, nimirum *amare nec amari*, vel *amarine nec amare*, utrumque non est rationale, quia argumento est, animos esse inæquales, & consequenter utrobique non potest esse vera oblectatio. In rationali etiam amore, dum per officiositatem alteri amorem nostrum adhuc significamus, ejusque amorem ambimus, *desiderium* potius quam *oblectatio* apud nos deprehenditur.

21. Sed si *amor cum reciproco amore*, ut decet, conjunctus est, certè *uterque amor nos aequa delectat*; Etsi enim aliquis *prætendat* amorem acti-



acti, um magis nos delectare quam amorem passivum, dum amore activo apud eum quem diligimus oblectationem excitamus, sed amore passivo is quem diligimus nobis reciprocum oblectationem conferre studet; & quisque secundum rectam rationem amans, magis delectatur in oblectatione personæ dilecta, quam in propria consuevit, tamen hæc ipsa annotatio ostendit, quod in amore passivo necesse sit æquè nos delectari quam in amore activo, si consideremus, personam amatam maiorem fere oblectationem capere, cum amorem hunc reciprocum nobis exhibet, quam cum nostrum amorem accipit. Deinde Amor non consistit in nudâ Actione, nec Amor reciprocus in nudâ Passione, sed uterque amor in eo concordat, ut alter alteri amorem exhibeat, & vicissim in ejus amore tranquille oblectetur,

22. (II) *An magis delectet in amore alios erudire, quam ab aliis erudiri?* Hæc quæstio quatenus amorem rationalem concernit, duplício modo intelligi potest. Si amorem aequalē respicis, a priori verbis saltēm discrepat, & haec tenus erudire & erudiri (id quod utrobique fit æqualiter) nil aliud significat, nisi amare & amari. Sed si à priori quæstione differre debet, de amore inæquali intelligenda est, & tunc idem significat, ac si quæras, *virum n̄ agis delectet, amare homines, in virtuti studio jam longius ultra nos progressos, quorumque institutiones vel*



vel manuductione egemus, *an eos qui nobis sunt inferiores*, quique nostra institutione opus habent; quemadmodum in amore rationali se gerere debeant?

23. Ac viderur e quidem *utraque delectatio aque sensibilis esse*, & inferior, cum gaudet superiorem sui causa se humiliare, ac quasi retrocedere, eique se ex quoquare, propriè nec majorem nec minorem sentire delectationem, quam superior, si videt inferiorem sincerâ confidencia contendere, ut in virtute indies maiores faciat profectus, & superiori æqualis fiat. Tamen si ea quæ de discrimine Status utriusque amantis notavimus, huc applicare velimus, duobus verbis comodè conclusum dare possemus. Quod nostra delectatio quam inde capimus, *cum ab aliis instituimur*, partim ob infirmitates nostras, partim quod res novas nobisque antea incognitas quotidie addiscamus, sit *longe sensibilior*, sed delectatio alios in virtute erudiendi, longe purior, magisque quieta.

24. Solutio prioris quæstionis viam nobis sternit, ut ad quæstionem (III) promptius respondemus: *Utrum fortior sit amor, cum cito ex arcana quadam inclinatione amare incipimus, ita ut cor nostrum uno quasi momento ab amore incendatur; an cum hominem cum quo aliquandiu indifferenter conversati sumus, deinceps quasi ex Gratitudine, quia plures amoris sui significationes nobis exhibuit, redamare occipimus?* Ac possumus quidem in utroque genere exempla & fortis & debilis

bilis amoris inveniri, at si ad quæstionem secundum distincta genera amoris respondendum est, pronunciare cogimur; Amorem fortiorum vel pro amore sumi, cuius fervidior est *Impulsus*, vel pro amore qui fortiora præbet amoris argumenta.

25. Amor qui ~~cum~~ capit, omnino fervidior est, quia hæc ratione fere homines virtutis viam vix ingressi ac inter se æquales, vel in amore inæquali, inferiores amare solent; Et hi in amore suo multum omnino fervoris habent, cum affectibus suis parum imperare sciant. Cum Vir excellens qui in amore inæquali fere ex gratitudine amat, ea omnia quidem sentiat, quæ verus amor in cordibus nostris operatur, sed fervor ejus magis igni calefaciens & nutriti, quam igni consumenti comparandus sit.

26. Hinc si amorem fortiorum ex argumentis amoris cognoscere volumus, sequi oportet, quemadmodum ignis consumens flammam, nutritiens calore abundat; ita & argumenta amoris in amore cito incipiente, secundum externam speciem maxima quidem esse, sed si accuratius considerantur, multa cum vanitate conjuncta. Cum in amore ex gratitudine profecto, si superior paratus est vitam pro inferiori profundere, hæc promptitudo magis sit rationalis & amore plena, quam in amore prioris generis.

27. Par ratio est quæstionis (IV.) *Quisnam amor sit diuturnior?* Nam si per longiorum durationem



nem significas, uter amor *tardissime scopum suum*, summumque gradum asequatur; tum paulo ante dicta te docebunt, quod amor æqualis duorum hominum perfectorum omnium primus & cito, amor inæqualis ob diffidentiam & nœvos partis inferioris paullo tardius, denique amor æqualis duorum hominum imperfectorum ob mutuam diffidentiam & nimis variabilem delectationem tardissime eò perveniat.

28. Sed si quæris, quis amor *continuò crescat*, certè non decrescat? Amor duorum hominum perfectorum hic sumnum locum tenet, quia perpetuo crescere potest. *Amor inæqualis* eandem, habet prærogativam, modò inferior eò enatur, ut superiori æquetur; tum enim amor hic in amorem duorum hominum æque perfectorum abit. Idem de *amore æuali duorum imperfectorum* statuendum est, si uterque in via virtutis progreditur, & ab inæqualitatibus sibi adhuc adhærentibus privati commodi & affectuum quotidie magis magisque se liberare conatur.

29. In *amore autem inæquali*, si persona que magis est imperfecta, ultro retrocedit, vel ambo imperfecti, ea magis quæ in amore suo adhuc imperfecta sunt, quam quæ rationalia sunt, alunt, non potest non amor eorum illicò decrescere ac frigescere. Ea tamen *frigiditas* tunc ferè nil aliud est, quam mutatio amoris particularis in universalem; Nihilominus infimus gradus amoris rationalis hanc prærogativam habet præ-

amo-

amore irrationali, ut cum hic desinit, non in sola frigiditare terminetur, sed plerunque in odium vel contemptum degeneret.

30. (V.) Quæritur, *An turpe sit, ut fœmina prior amet, vel certe amorem suum prior aperiat?* Nos in hujus quæstionis solutione non sequemur meditationes apud autores fabularum, quas Romantios vocant, passim obvias, sed lecundum dictum Philosophiæ breviter rem expediemus. Si *amor irrationalis* est, nec viris nec fœminis honestum est, ut in eum amorem implicitur, & tunc fœminæ æque est turpè ejusmodi amorem acceptet, quam si prior hunc amorem aperiat. Si *rationalis*, non est ut ullum homminem hujus amoris pudeat, sed honori potius ipsi est ita amare, quia hic amor fundamentum omnium virtutum est, & unica via ad summum bonum pervenienti.

31. Ac etsi obtendas, *indictum tamen esse imperfectionis*, si quis amare incipiat, cum personæ æquales simul amorem suum sibi mutuo aperiant, in amore autem inæquali inferioris sit, ut amorem suum prior aperiat; tamen recolenda tibi sunt ea, quæ jam supra indicavimus, quemadmodum *præstantiores* etiam extraordinaria quâdam ratione amoris initium facere queant, eoque cor amore plenum luculentius declarare. Deinde indubium est, etsi in amore æquali duo eodem tempore amare se incipient, alterum tamen eorum sine animadversione inæqualitatis vel imperfectionis, actu in-



incipere, primamque significationem seu verbis seu aliis argumentis edere oportere.

32. Denique *significatio imperfectionis sexui muliebri, distillatione non est turpis.* Is sexus nimis nobis non est suppressendum, nec nobis ipsis majorem sine exceptione aptitudinem ac virtutis amorem quam mulieribus vendicemus; Nec nostrâ tamen assertione earum levitatem alamus, qua plurimæ sibi imaginantur, viros omnes sine exceptione obligari, ut earum prærogativas suspiciant, eisque se ultrò subjiciant. Ut iversus sexus continet virtutis studiosos & vitiosos, hosque diversorum graduum. Hinc fœmina, quæ prætenderet, ut semper sibi obviam eatur in amore, è sequentibus absurditatibus unam certe committeret, vel ut contra omnem æquitatem, hominem in virtute ipsi præstantiorem cogeret, ut sine causa se humiliet, eique amorem suum prior aperiat, vel, ut oblationem suam in eo saltem quæreret, ut ab imperfectis ametur, eaque delectatione excideret, quæ concipitur, si quis amore in virtute præstantiorum magis magisque proficit, vel ut vanissima phantasiâ laboraret, se ipsum esse excellentiam, nec ullum esse Virum in orbe terrarum, qui meritum ac virtute eam superaret.

33. (VI.) Postremo è Philosophia nostrâ morali hæc etiam quæstio facile decidetur. *An Viro sapienti qui ad insignem aliquem virtutis gradum elevatus est, fœminas amare liceat?* Ego quidem è veteribus Philosophis, hos qui hoc nega-



garunt, existimo vel ad amorem illicitum resipexisse, vel omnem amorem sexus fœminei, ne ipso quidem matrimonio excepto, habuisse pro illico, vel certe prò summè imperfecto, quorum errorem refutare nostri non est instituti. Sed ad hanc quæstionem palam affirmative respondeo, cum prolixa demonstratione non egeat.

34. Aut enim fœmina ea est *vicioſa*, tum amorejus neminem, nedum virum sapientem decet; aut est *virtutis amans*, & tam sapiens ac ipſe, tum obſtrictus est ut eam amet, isque amor tum longe excellentior est quam amor æqualis erga alium virum sapientem, ob fortiorē Impulſum atque Confidentiam, diverſo ſexui à Deo implantata.

35. Quod si ea nondum est virtuosa, sed magnis adhuc imbecillitatibus est immersa, virtutem tamen amat, mentemque ſuam cum mente viri ſapientis unire desiderat, iniquissime ageret, ſi eam ob ſexus diſparitatem è Scholâ ſuā virtutis vellet excludere. Quin hoc ipſo naturali Impulſu Confidentiæ, qui habetur inter personas diversi ſexus, confirmatur, quod minus diffidentiæ apud eam deprehensurus fit, quam apud reliquos ſuos virtutis tyrones, adeq; manuductio ejus ad virtutem citius ſcopum ſuum aſſecutura fit.

36. Ac cum Vir ſapiens in ſexu fœmineo plures reperiat de poſtremo ordine, quam quæ ipſi fūnt æquales, concludi facile poterit, quod ordi-



ordinariè non incipiatur amare, sed amorem ejus magis
è gratitudine, quam proprio ex affectu proficiunt;
adeoque in Viro sapiente etiam amoris argu-
menta longe alia esse debere, quam in homine qui ad-
huc tyro est in virtute, quique foemina amat sibi
æqualem. Nam si Vir sapiens ejusmodi
uteretur amoris argumentis, quæ tyroni con-
donantur, existimationem suam levissime pro-
stitueret. Cæterum ob exempla huc perti-
nentia nos referimus ad ea quæ suprà
n. 15. & 16. tradidimus.

CAPUT IIX.

DE

AMORE SUI RATIONALI.

SUMMARIUM.

Quid Amor sui rationalis significet? n. 1. Quid sit?
n. 2. Homo terminum vitæ suæ non potest pro-
longare. n. 3. alix creaturæ vitâ longiori fruun-
tutur quam homo. n. 4. reliqua creaturæ vitam su-
am conservant sine intellectu, per instinctum na-
turalem sibi inditum, sed eam non decurtant;
Homo autem media conservationis sua intelligit,
& tamen vitam suam abbreviat. n. 5. Quibus in
rebus consistant media vitam prolongandi n. 6.
& quibus rebus vita decuratur. n. 7. Homo vi-
tam suam abbreviaturus non facile à Deo impedi-
tur. n. 8. Sed vitam secundum naturam conser-
vavero, Deus eam casu insperato sepe abrumpit.
n. 9. Quomodo abruptio termini vitæ cum divi-
na providentia & omnipotentia consistat. n. 10.

CVR



Cur in vita nostra conservanda recipiendus sit Amor proximi, ut aliis hac prolongatione bens sit, n. 11. Amor proximi est fundamentum amoris sui, n. 12. ejusque regula, n. 13. Ut nimis emendatio animæ potissimum attendatur, n. 14, deinde conservatio vitæ nostræ amori proximice dat, n. 15. et si amicus meus vitam meam propriavitæ anteponat, n. 16. & mecum disceptet ut vitam meam conservem, n. 17. Hoc unicum est paradoxum, quod ratio humana perspicue demonstrare non potest, n. 18. An vim vi possumus repellere, n. 19. Septem præsupposita ad decisionem hujus quæstionis, n. 20, quæ affirmatur n. 21, si loquimur de vi præsenti, non de minis, n. 22. Quatenus violenta hominis occisio pro opere charitatis venditari queat, n. 23. De aliis quæstionibus specialibus hic pertinentibus in genere, n. 24. Cur de cura hominis pro anima & corpore in specie & explicate non agatur. Libri de cura corporis, n. 25. 26. 27. Manutentio, quomodo in hac materia, veritates proprio marte inveniendas sint n. 28. illustratur quæstione, quinam potus sit saluberrimus, n. 29. & ostenditur quomodo inde occasio sumenda sit, saluberrimi cibi explorandi, n. 30. Ad curam corporis pertinent quatuor Virtutes, Temperantia, Mundities, Laboriositas, & Fortitudo, n. 31.

ET si supra docuerimus quod omnes homines actu *alios homines vel creaturas magis ament*, quam seipso (licet imprudentes stolidè existiment seipso maxime se amare) Deinde generalis definitio amoris abunde ostenderit, quod semper aliquid ex-

174



extra nos ipsos amari oporteat, nec se ipsum aliquis amare possit; amor tamen rationalis erga homines requirit, ut nostri quoque curam geramus, & hanc curam, cum ex amore rationali fluat, non inepte amorem sui rationalem appellare licet.

2. Is amor in genere nil aliud est, quam natus quidam rationalis omnia ea agendi, quibus vi- ta terminus à DEO definitus, secundum regulas sa- ne rationis ad hominum, quos rationaliter ama- mus, utilitatem, non abbrevietur sed conservetur.

3. Nam Deus, sicut omnibus creaturis, ita & homini certum terminum durationis sue defini- vit, quem nulla creatura transfilire potest, & hāc ratione homo hoc cum reliquis creaturis commune habet, quod vitæ terminum à DEO sibi definitum ne ad momentum quidem prolonga- re queat.

4. Quotidiana tamen experientia docet, creature quo ignobiliores sunt, eo diutius vivere, tardiusque corrumpi post mortem, nisi quod cicu- rata animalia vitam hominis non attingant, et si valde sit verosimile, homines vel violenta occi- sione, vel immoderato alimentorum usu, vel insalubri cibo & potu vitam suam potius ab- breviare, quam ut secundum naturam longæ- vitatem ferarum bestiarum assèqui nequeant, quæ nisi capiantur ab hominibus, vitam homi- num facile superare possint. Adeoque magna hīc differentia est inter hominem & reliquias crea- turas, et si ratio humana sibi relicta non tam vero-

T

sumi-



similiter veram causam sciat eruere, parumque
norit homines in primordio generis humani,
etiam post lapsum vitam reliquarum crea-
turarum superasse, vel certe longævitate æ-
quasse.

5. Sed & aliud discrimen inter hominem & re-
liquas creaturas hodie extra controversiam est,
quod cæteræ cœtauræ instinctum à Deo sibi im-
plantatum sequantur, adeoque et si media ad con-
servationem ac durationem suam à DEO or-
dinariè posita non intelligant, tamen secun-
dum ea media vivant, neque iis abutantur, vel
terminum sibi præfixum abbrevient, homo ve-
rò ope intellectus sui media naturalia ad vitam
suam conservandam faciliime & sine subtili spe-
culatione cognoscere, itidemque vitae suæ ter-
minum cum ex malitiâ tum ex negligentia ab-
breviare queat.

6. Vitam suam homo conservat, si tali cibo
& potu utitur, quibus alimentis sanguis ejus in
proportionata circulatione, eaque nec nimis
celeri nec nimis tarda moveatur, si extrinsecus
corpus suum vestimentis & domicilio ab impro-
portionato frigore vel calore tuetur, si corpus
suum quotidie motu & quiete temperatâ recre-
at, & proportionata quadam vicissitudine omnia
membra in specie oblectat, denique vires facul-
tatesque suas omnes eò confert, ut vitam su-
am à quacunque vi externa defendat. Nam ista
omnia sunt notissimæ Conclusiones, è doctrina
primi capituli derivatæ.

7. Ex

7. Ex quo facile intelligitur, quibus rebus *vitam suam abbreviet*, nimirum si singula ea quæ jam notavimus, vel eorum unum saltem neglegat, vel contrarium potius agat.

8. Nec homo tamen existimabit, si ea omnia observet, quæ ad vitæ suæ conservacionem in naturâ fundata esse deprehendit, *vitam suam tamdiu etiam durare oportere*, quamdiu eam durare secundum regulas naturales consentaneum sit. Neque enim DEUS regulas naturales sibi ipsi, sed hominibus præscripsit, ac omnes homines per quotidianam experientiam docet, si has regulas data operâ transgrediantur, quod *vite sua abbreviationem sibiipsis debeant*, nec ullam sive in naturâ sive in experientia ratione reperiant, unde verosimiliter sperare possint, Deum vitam humanam conservare velle vi omnipotentiæ suæ, extraordinarie, & contra naturam.

9. Ex adverso quotidiana etiam experientia ostendit, quod DEUS hos qui fundamentales naturæ regulas accuratissime hic observarunt, *morte repentina & violenta tollat*, quam exquisitissimo studio ne ad momentum quidem differre possunt: Sive hoc ipso Deus nos velit docere, quod ipse, tanquam Dominus naturæ, non sibi, sed nobis certum terminum quem obseruemus, definiverit, ipse vero huic semper decurtare possit. Sive hoc casu vitæ nostræ terminus non secundum natu-



ralem nostram conjecturam, sed secundum præscientiam divinam supplicari debet; Sive homo iste vitæ suæ decurrationem intermissione amoris rationalis erga alios homines, vel factis irrationalibus contra debitum erga DEUM ipse sibi contraxerit.

10. Et ne ipsi contra hoc debitum peccemus, non amplius speculabimur, quomodo hoc cum providentia, cumque omnipotentia divina constere queat, ut homo vitæ sua terminum decurset. Inanis enim est ista speculatio, nec quicquam nobis proficit, cum omnes proprietates divinæ sint incomprehensibles & ad conservandam animi nostri tranquillitatem sufficiat, si indubitate intelligamus, posse hominem vitam suam decurtare.

11. Hoc potius aliquanto accuratius expendamus, cur in definitione amoris sui rationalis dixerimus, Conservationem vitæ nostræ eō fieri debere, ut aliis quos rationaliter amamus bene sit. Nam & Amor sui, uti docuimus, fluit ex amore proximi, & Amor proximi regula est Amoris sui.

12. Primum enim Amor cum *Universalis* tum præcipue *particularis* exigit, ut vitam nostram conservare studeamus. *Universalis*, quia aliorum hominum auxilio, & vitâ promiscue opus habemus; *Particularis*, quia amor poscit, ut magis queramus, ut personæ dilectæ bene sit, quam nobis ipsis; cumque sciamus eum quem

ama-



amamus magis vivere in nobis, quam in seipso: amore enomiter violaremus, si in conservazione vitæ nostræ negligentes essemus.

13. Deinde Amor proximi est *Norma amoris sui*, cùm si consideremus, quemadmodum is *instituendus* sit, tum si cogitemus, quod Amor sui *amori proximi* cedere debeat.

14. *Priori respectu* Amor proximi nos docet, quod non sufficiat vitam suam conservare quo ad sola corporis machina innuitur, sed cum conservationem istam in gratiam amoris proximi institui oporteat, sponte suâ intelligitur, animam potissimum ab omni ignorantia & stultitia, item ab omnibus pravis affectibus amorem impedientibus purgandam esse, et si hi suâ natura tales essent, ut per eosdem vita nostra, non decurtaretur, sed in hisce erroribus atque affectibus, vitam nostram instar bestiarum quam longissime possemus producere.

15. Deinde Amor sui *cedat amori proximi*, quia in descriptione amoris particularis sæpe notavimus, quod is amor nos impellat ut vitam nostram pro persona rationaliter amata, profundamus. Quando igitur omissione eorum, quæ supra n. 6. ad conservationem vitæ nostræ requisivimus, vita personæ amatæ conservari possit, sana ratio ostendit, tum ea nobis omittenda potius esse quam facienda. non videmus tamen, quo casu, omissione eorum, vita proximi conservari queat, exceptis iis quæ

T 3

ibi-



ibidem de defensione vitæ nostræ contra vim
externam docuimus.

16. Ac si quis nobis opponat, quod non o-
pus habeam, ut vitæ meæ conservationem vitæ
amicī postponam, *cum amicus meus magis in me
vivat, quam in seipso*, unde sequi videatur, quod
me ipsum magis respicere debeam, quam vitam
amicī. Respondebimus, regulas amoris itidem
à me requirere, ut in amico magis vivam quam
in meipso, adeoque eius vitam vitæ meæ præ-
feram, & si hoc amore reciproco carerem, me
amore amici etiam fore indignum.

27. Replicas; Ita vero sequetur, ut in amo-
re non unum cor & una anima, sed due contradic-
torie voluntates deprehendantur, dum alter pro
altero mori, & alterius mortem impedire cu-
pit: ita vero amor non amor, certe discordia
amor vocabitur.

18. Sed ô quam amicæ contradictiones! ô
quam grata discordia! *Hoc vero unicum est para-
doxum in Philosophia*, cuius veritas ab omnibus
quidem intelligitur, quod rationi non repu-
gnet, nec intellectu tamen eius perspicua ratio
deprehenditur, unde id demonstretur;

19. Diximus autem, amorem particularem
nos obligare, ut vitam nostram præ amore pro
amico profundamus. Nam quod amorem u-
niversalē concernit, iam suprà, cum de eo
ageremus, satis demonstravimus; neque Hu-
manitatem neque aliam ullam virtutem ad a-
mo-

morem universalem pertinentem eò se se extenderet, ut pro quibuscumque hominibus moriamur. Imo ibidem, cum de Patientia doceremus, diximus quod de ea saltem loquamur patientiâ, quibus acceptas injurias toleramus, de patientia vero erga præfentes ac futuras injurias suo loco sententiam nostram significare velimus. Unde jam non immeritò quæritur, *amnon etiam amore rationali obligemur, injurias pericula & contumeliam ab inimicis nostris nobis formidanda, patienter expectare, & pro his quoque vitam profundere; an verò hasce injurias vi reciprocâ, imò cum occisione adversarii, salvo amore nobis propulsare liceat?*

20. Iam ut hanc quæstionem, ad quam prolixè alias varieque & confuse respondere solent, breviter & ex fundamento decidamus, ex hac tenus demonstratis aliquot saltem *theses & fundamenta hic repetemus.* (1) Omnes homines omnes equidem in specie amare non posse, nec odisse tamen debere. (2) Qui *inimicè nos tractant*, non posse prætendere, ut *amori particulari* se amplectamur, quia offensionibus suis abunde demonstrant se non esse virtuosos. (3) *Nec licere tamen ut eiusmodi homines odio habeamus*, sed amorem universalem eis exhibendum esse. (4) *Odisse nil aliud esse quam meditari*, quemadmodum alteri pro malo apparenter nobis exhibito ægre faciamus. (5) *defensionem vitæ nostræ aliorumque bonorum*, non referri posse ad odium,

T 4

cum



cum hoc saltem ea intendat, ut alterum detineamus, ne nobis ægre faciat. (6) Quod *banc defensionem amori cum particulari tum univerſali debeamus.* (7) Quod malitiam vel lapsum alterius ulcisci equidem nobis non licet, quia eadem patientia quotidie ab aliis præstanta opus habemus. Sed à nemine prætendere possumus, si in mediocri saltem gradu prudentes sumus, ut *vim presentem manifestam* à nobis patienter sustineat; Unde nec idem à nobis postulari potest,

21. Ex his fundamentis iam ad propositam quæſtionem respondemus. *Amorem non requirere, ut vim presentem, quam hostes nobis minati sunt, patienter sufferamus, sed quod salvo amore eandem vi opposita, etſi ea cum ipsius adversari interemtione conjuncta sit, repellere queamus.*

22. Loquor autem de *vi præsenter imminente.* Nam ob comminationem non opus est medio iſto violento, partim quod hac ratione comminationes tanquam iniuriam iam illatam vindicaremus, quod patientiæ univerſali repugnat, partim quod adversus comminationes aliis cautelis & præparatione, quod deinceps vim vi repellere valeamus, satis muniti sumus.

23. Ac etſi prætendas, plane irrationale esse, ut *violentia hominis occisio pro opere charitatis venditetur;* tamen facilis est responsio, quod nun-



nunquam dixerimus violenta occisione occiso amorem exhiberi, sed sufficere eo ipso nec odium ei præberi, dum eius mortem non intendimus, sed hanc ipse sibi contrahit, quodque hâc nostra defensione, tam quibuscumq; hominibus in genere, quam amicis nostris in specie amorem nostrum præstamus.

24. *Quomodo autem vis nobis imminens comparata esse debeat, ut eadem vi repelliri, & præsentibus periculis annumerari possit?* Item, *quænam prius tentanda sint, quam ad hanc extremitatem inimici nostri occidendi devenimus?* & *quæ præterea sunt hujusmodi quæstiones, quæ à Moralistis vulgo formari & decidi solent, his iam non occupabimur, cum quod ob infinitas ac nimis variantes circumstantias, in genere vix decidi possint, sed cuiusque virtuosi prudentiæ & amori commitenda sint;* tum *quod vitiosi & quoad virtutem imperfecti parum proficerent, eis* eas subtilissime decideremus, ipsi vero ob vitia sua vel imperfectionem inepti essent qui hanc decisionem ad praxin deducant, præsertim cum eiusmodi pericula talem hominem timore repantino atque consternatione perculsum in eum statum detrudant, ubi sui ipsius est impotens, sed ab hoc timore, incussaque consternatione regi cogitur. *Quæ si in hominem incident, amorem rationalem animique tranquilitatem iam in aliquanto gradu possident,*

T 5

tem,



tem, ipse pro mensura amoris sibi impertita iam novit, quid sibi his in periculis secundum officium suum agendum sit.

35. Igitur cum Amor sui, per superius annotata, tam in cura *anime nostrae*, quam in cura *vite & valetudinis nostrae* consistat; de *utroque in specie* iam quidem esset agendum. Sed speramus à prudenti Lectore facilem veniam, si id hic omittamus.

26. Ac *animam* quidem quod attinet, eius perfectio consistit in duabus virtutibus, *Sapientia & amore*. De *Sapientia* satis in Logica explicavimus. De *Amore* fere omnes paginae Philosophiae huius moralis loquuntur. Et si quid de mediis eum conservantibus adhuc restat, pars altera de *Remediis* contra amorem irrationalem abunde exponet.

27. *Vita* vero ac *Valetudinis* conservatio ad *Medicinam* pertinet, eiusq; nobilissima pars est, et si Medici vulgo magis solliciti sint, quâ ratione morbos maxime sensibiles & periculosos tollant, quam quemadmodum homo valetudinem suam in statu integro conservet, eam magis magisque confortet, morbosque præveniat, quæ tamen omnes homines ratione prædicti, in primis Studiosi & literati, sollicite observare deberent. Sed cum Ars Medica in hoc seculo augmentis maximis sit locupletata; insigni DEI beneficio non desunt libri quidam eruditii, qui perspicuam nec quibus-

cun-



cunque hominibus ratione præditis difficultem manudictionem præbent. Paucos saltem nominabo, *Tractarum D. Cornelii Bontekoe de hominis Vita, Tractatum, Morbo & Morte*, quem & ipse & auditores mei utiliter hactenus adhibuimus, item Autorem Medicinæ corporis.

28. Quod si hic aliquis se *proprio Marte in veritate indaganda velit exercere*, ea saltem repeat, quæ Capite primo huius libri de Bono & malo in genere docuimus, eaque ad consuetum sibi cibum & potum, vestitum, domicilium, motum quotidianum &c. applicet, ac deinceps cum tractatu D. Bontekoe, vel alio eius generis libro conferat, & se idoneum esse deprehendet, qui in hac scientia novas veritates subinde proprio Marte inveniat, & ab aliis inventas examinet, atque cognoscat, quantis erroribus fuit implicatus.

29. E. g. Si quis scire desiderat, *quisnam potus ordinarie saluberrimus sit?* Respondeatur è primo capite Ethices nostræ, hunc potum esse saluberrimum, qui sanguinem nostrum in proportionata circulatione retinet, ne is iusto velocius vel tardius moveatur. Iam applicatione facta ad potum nobis usitatum, deprehendimus hunc trium esse generum: *Vinum, Aquam, & Cerevisiam.* *Vinum* calefacit, adeoque circulationem sanguinis nimis reddit velocem, vel phlegma generat, si dulce est



est, & circulationem sanguinis nimis tardam efficit, vel tartarum in se continet, & minus tartari particulas in sanguinem propellit, quae venas & fibras corrodunt, & dispositione sua circulationem sanguinis valde impediunt, atque arthritidem similesque morbos inducunt. *Cerevisia* similes habet effectus. aut enim calefacit, aut frigus operatur; Plerumque autem phlegma generat, sic ut vinum plerumque calefacit, id quod in cerevisiae usu sudor mucosus, in vini usu calor per omnia membra fese diffundens testatur. Adde quod uterque potus ita comparatus est, ut acredine vel suavi sapore sitim provocent, & linguam ita titillent, ut praे voluptate plus inde bibamus, quam natura postulat. Sed *Aqua* ordinarie nec calida est, nec frigida; ac sanguinem in proportionatâ circulatione conservat, nec dulcis est nec acris, ut sitim nobis excitare valeat, aut plus bibere permittat, quam natura exposcit. Iam ipse fac conclusum, quisnam inter triplicem hunc potum ordinarie, & homini sano. sit saluberrimus. Sed attende ut secundum regulas sanæ rationis, nec secundum affectum tuum concludas.

30. Imo ut intelligas quemadmodum inventâ veritate plures subinde veritates emergant, diligenter considerabis aquam in comparatione vini & cerevisiae, esse potum cui mi-



minimum inest saporis, iam si hanc observationem cum capite primo conferes, ibique deprehendes ea quæ in sensoriis minimam sensibilitatem operantur, optima esse, magnam jam veritatum novarum multitudinem circa cibos salubres invenisti, si eadem ratione applicationem facies, cibos minus sapidos ordinarie esse saluberrimos, contrà acidos, quæq; homo sanus nec delicatus cum nausea quadam abhorret, insaluberimos. &c.

31. Quod si tandem, ordinis causa, ut in amore universalis & particulari fecimus, etiam in Amore Sui distinctas observationes huc pertinentes certis virtutum nominibus insignire velis; Debitum circa cibum & potum posses appellare Temperantiam; id quod in vestitu & domicilio versatur, Munditium; quod motu membrorum externorum intendit, Laboriositatem, denique quod corpus defendit, Fortitudinem. Sed ad praxin potius harum virtutum enitere, quam ut circa earum appellationes aut definitio- nes digladieris.

CA-

CAPUT IX.

DE

NECESSITATE AMORIS RATIONALIS IN QVA TUOR COMMUNIBUS SOCIETATIBUS GENERIS HUMANI.

SUMMARIUM.

Connexio, n. 1. In Societate Conjugali, item in societate paterna, herili & civili n. 2. Amor non admodum videtur necessarius, cum ibi mandatis & cœtione agatur. n. 3. Tamen omnis societas est unirio animorum sicut in Amore. n. 4. Nulla societas vacare potest Amore, uti vacare potest vi & mandato. n. 5. Mandatum in societatibus fâtem famulatur Amori. n. 6. nec æque singulis societatibus conjunctum est. n. 7. prout societas vel è naturali impulsu ortæ sunt, vel è defectu amoris n. 8. Societas conjugalis & paterna non semper summa aliqua necessitate opus habent mandato. n. 9. Societas herilis amore universaliter contenta est, potest tamen is amor excrescere in amorem particularem, n. 10. Sed in Societate civili amor particularis inter Magistratum & subditos non est sperandus. n. 11. Quod si nec amor universalis deprehenditur, plerumque culpa est penes Magistratum, & ita in reliquis tribus societatibus penes eos qui ibi præcipendi potestatem habent. n. 12. Societas conjugalis est omnium naturalissima. n. 13. In quâ neceſſe est, ut amor particularis æqualis inveniatur. n. 14. Ante eius summationem in prævia sollicita officiositate summa opus est cautione. n. 15. nec negligenda Beneficē.



ficentia n. 16. Post consummationem matrimonii communio omnium actionum, & bonorum locum inveniat. n. 17. Implacabili odio inter conjuges exerto rationi consentaneum est, ut separentur. n. 18. De Polygamia & de communione Uxorium. n. 19. Societas Paterna prædicta sit amore rationali inæquali. n. 20. Is amor postmodum in amorem æqualem mutetur. n. 21. Societas Herilis utroque omnes virtutes amoris universalis continet. n. 22. Quando is possit converti in amorem particularem? n. 23. Cujusmodi amor esse debet in Societate Civili? n. 24.

I.

HAECENUS de Amore egimus, quemadmodum is secundum dictum rationis excitetur, & plenariam unionem duorum animorum, cuiuscunque status aut sexus intendat. Adeoque in doctrina de Amore nil amplius reliquum est, nisi ut videamus, quemadmodum is amor in quatuor humanis *Societatibus* comparatus esse debeat, quæ inde Societates naturales appellantur, quia omnibus gentibus sunt communes, & nemo est, qui non in earum una, si non in omnibus vivat.

2. Suntque Societas (1) inter maritum & uxorem. (2) inter parentes & liberos. (3) inter herum & servum. (4) inter magistratum & subditos. De quarum societatum constitutione & quodnam secundum regulas iusticie cuiusque personæ sub societate aliqua viventis

offi-



officium sit, prolixè non agemus, quia hoc alibi præstitimus, plura etiam vulgo nota sunt, quæ ad explicationem iuris Naturæ potius quam ad Ethicam pertinent, sed quodnam amoris in his societatibus officium sit, quisq; effectus dispiciemus.

3. Enimvero si has societas conjunctim obiter intuemur, videtur equidem *in illis Amor non magnopere curari*. Nam hæ societas singulæ in genere humano ita comparatæ sunt, ut alter potestatem gerat alteri præcipendi, & alter alteri morem gerere debeat. *Ubi autem mandatum locum habet, ibi locum etiam habet coactio*. *Ubi coactio, ibi nullus amor*. Et consequenter, cum supra docuerimus, coactionem differentiam constituere inter Iusticiam & Amorem, videntur hæ quatuor societas *iusticiam quidem pati posse, non vero Amorem*.

4. Contra si vicissim consideramus, nihilominus de *Amore conjugali*, de *Amore parentum erga liberos &c.* omnes loqui & scribere; imo si expendimus, omnem *societatem humana* in unione duorum animorum ad certum finem consistere, videmus *omnes etiam societas natura sua Amorem*, quæ ipsa est animorum conjunctio, intendere.

5. Et ita cito deprehendimus *societatem nullam absque Amore*, commode tamen *absque mandato ac coactione esse posse*; mandatum ve-

ro & coactionem per accidens faltem in humanas societates irrepissē, quatenus nimis certi homines in his societatibus viventes vel ex imperfectione, vel ex malitia ea quæ ad scopum cuiusque societatis faciunt, ultro facere cessant; imo his reluctantur.

6. Unde porro sequitur *Amorem non propter coactionem* in dictis quatuor societatibus adesse debere, sed *Amorem* in singulis oportere quasi *imperium tenere*, mandatum vero & *coactionem ei famulari*, non quidem ut amor vi & mandato excitetur, quod est impossibile, sed ut amor adversus odium eiusque offensiones defendatur. Et hac ratione mandatum atq; coactio in his societatibus necessario definit, certe non adhibetur, cum homines in his societatibus viventes Amori suâ sponte locum concedunt.

7. Cæterum et si *mandatum seu coactio*, ad nullam ex quatuor hisce societatibus pertineat, si eorum finis absolute consideretur; tamen id *alii societati magis, alii minus adhæret*, adeoq; non inepte dici poterit, uti *amor est de Essentia omnium societatum*, ita ex adverso *coactionem per accidens* in alias societates irrepissē, quarundam vero *quasi partem aliquam* constituere.

8. Nimis si dictæ quatuor societates parum inter se conferantur, animadvertemus, barum duas in humano genere vigere posse, et si omnes homines essent virtuosi, *seque mutuo amarent*, et si bona omnia secundum leges amoris rationalis essent communia, omnesque homines in mundo abunde honorum possiderent,

U

ita



ita ut nec pauperes essent nec divites. Relique
duæ ortæ sunt è defectu amoris & è domino inde
introducto, & ex abundantia & egestate inde se-
cuta, partim etiam ob metum malitie aliorum ho-
minum tam in societate quam extra societa-
tem viventium formatæ.

9. *Societas coniugalis* & consequenter etiam
societas Paterna est virtutis amantium & vitiosorum,
pauperum & divitium. Ac etsi utraque
ad substantiam suam nec divitias nec privatum
dominium præsupponat, tamen si scopum
suum vere attingere velint, opus habent vir-
tute atque amore. Ac si amor reperitur, non
admodum usurpatur *imperium mariti*, nec man-
datum parentum; Sed vel uterque ultro debi-
tum suum agit, vel monitum sufficit, quod co-
ætione imperante non opus habet. Et in his so-
cietatibus amor rationalis facillime potest ori-
ri, cum homo ad eundem instinctu interno u-
niversali, non verò externa aliqua necessitate
iuvitetur.

10. Rursus non daretur *Societas Herili*, si
secundum amorem omnia essent communia,
& sublatum discrimen inter pauperes & divites.
Societas vero Civilis non esset exorta, nisi cœ-
ptum fuisset homines amore vacuos timere, &
contra eorum odium quæsita defensio. In so-
cietate herili amor fere deprehenditur *in exiguo*
gradu, cum in eâ tam herus quam servus priva-
rum quisque commodum potius intendat,
quam ut alteribene sit, & scopus heri talis sit,
ut

ut sine præscripto atque mandato juxta quod necesse est servum actiones suas instituere, obtineri nequeat. Oportet tamen *amorem saltem universalem ut robique observari*. nec amor particularis huic societati repugnat; Imo *ubi is in hac societate deprehenditur*, vis imperans & private utilitatis studium cessat, & in amorem fraternum convertitur.

11. Sed Societas civilis vi atque imperio minus carere potest & amorem particularem inter Magistratum & subditos difficilius obtinere solet sed contentam eam esse oportet, dummodo *amor universalis stabiliatur*, cum dissidentia erga alios homines huius societatis origo sit, & in eius institutione plerumque ejusmodi conditiones alter alteri præscribere soleat, quæ insignem dissidentiam inter ipsas has personas qui hanc societatem amplectuntur, argunt. Adde quod ob numerum personarum ex quibus hæc societas conficitur, impossibile sit, ut *inter animos Magistratus & subitorum plenaria æqualitas & consequenter etiam amor particularis sperari possit*.

12. In duabus tamen ultimis societatibus hi penes quos est imperium operam dent, *ut servi & subiti, quantum ejus fieri potest, ad amorem particularem magis magisque aptentur*. Et si in his societatibus ne virtutes quidem amoris universalis observantur, *culpaplerunque est penes eos qui alias prudentiâ antecellere deberent, n. e. qui in ea societate imperant*. Idem etiam de so-

U 2 cie



cietate conjugali, & paterna dicendum est, nisi pars correlata aperte eos excuset, ut cum uxores, liberi, servi & subditi disciplinam omnem, monitaque omnia malitiosè repudiant pedibusque conculcant.

13. Postquam igitur de necessitate amoris rationalis in quatuor communibus societatis humanis in genere locuti sumus, paucis etiam singulas societas contemplabimur, quatenus amori cum eis est negotium. *Societas conjugalis* ideo omnium *naturalissima* est, quia instinctui & affectui naturali utriusvis sexus a DEO implantato satisfacere studet. Non intelligo pruritum venereum proclivem ad copulam carnalem, sed inclinationem rationalem duo corda arctissime & perpetuo secum uniendi, & casta coniunctione liberos procreandi, ac in liberis mutuum amorem suum veluti concentrandi vel rectius amplificandi.

14. Itaque in societate conjugali nil nisi *rationalis* quidam *Amor particularis equalis imperium* teneat, nunquam terminandus, quia leges civiles separationem prohibent, unde dictamen rectae rationis postulat, ut personæ conjugium inituræ *circumspectione summa in electione* utantur, quia in reliquis amicitiae & amoris generibus si quis in electione aberravit, semper vel plerumque saltem error emendari potest, ita ut alter ab altero rursus separetur, eaque separatione amorem particularem tollat.



15. Quare manifestum est, si nunquam in aliquo genere amoris particularis, certe in societate conjugali necessum esse, ut *sollicita-officiositas* supra explicata observetur, multæque ac variæ cum persona, cuius amamus, matrimonium, conversationes habeantur, ut accurate examinemus an animus eius, quem nobis proposuimus, virtutis amans, nostro-que similis sit, & an sincere amemur, an ex libidine, vel privata utilitate, aliove modo irra-tionali. Unde porro sequitur, hæc conju-gia non posse censeri rationalia, si personæ non sunt virtuosæ nec virtutis amantes, si consen-sum conjugalem alienis oculis & auribus com-mittunt, si in conjugio ineundo omnis vel po-tissimum habetur respectus pecuniæ, formæ vel promotionis, item si post unam alteramque conversationem illoco pactum ineunt, nisi for-te hoc casu duo animi eorum quorum uter-que virtutis studiofissimus & valde candidus est, juxta manuductionem supra à nobis tradi-tam convenient.

16. Deinde in societate conjugali, pro-pter universalem hominum statum imperfe-ctum, plenaria ac indissolubilis conjunctio tamdiu differenda esset, donec utriusque ani-mus firmiora prioribus argumenta *Beneficentie confidentis* præstiterint, cum sæpius contingat ut qui argumenta officiositatis integre præsti-terunt, nos derelinquant & inæqualitatem su-am prodant, cum usq; ad beneficentiam per-vene-

venerunt. Fortasse etiam majores nostri huc respexerunt, consuetudine introducta, ut post publicam sponsatio em, ante plenariam consummationem conjugii sponsus cum sponsa aliquandiu conversetur, ut exorta interim capitali inimicia rursus separari queant.

17. Sed jam consummato conjugio non est dubium, solam hanc conjugalem societatem esse vere rationalem, in qua non solum bona nnnia sunt communia, sed & utробique amica libertas & mutua communio omnium actionum animadvertisit. Hoc pacto autem neque vi neque imperio mariti opus est, utpote pro uxoribus stolidis & valde imperfectis introducto. Sed quoadmodum uxor marito iu rebus virili curæ commissis non obligitur, sed ex amore eum in hisce quantum potest, adjuvat, ita maritus uxori in rebus œconomicis, quas non intelligit, eandem libertatem concedit, eamque adjuvat: quantum ipsi per decorum a nationibus introductum licet. Utrobique vero sine suspicione & Zelotypia libertatem sibi concedunt cum honestis hominibus utriusvis sexus conversandi, cum uterque certus sit de virtute alterius, & è regulis recte rationis cognoscat Zelotypiam atque dissidentiam solius esse amoris irrationalis.

18. Quod si præter opinionem alteruter, vel uterque in electione se se præcipitaverint, & si jam consummato matrimonio ob nimiam disparitatem ac manifestam imprudentiam alterius conjugis, *disfidia* oriuntur, quæ ob pertinaciam partis irrationalis tolli vel componi nequeant; patet eam sententiam eruditorum in regulis sanæ rationis omnimo fundaram esse, qui contendunt, *divortium hoc easi concedendum esse*. Neque enim homini rationali illa major potest accidere calamitas, quam si cogatur cum homine irrationali in arctissima coniunctione ac societate perdurare, & cum eorem venereum exercere. Imo plusquam bestiale est, si homines discordes & plane contrarii nullam inter se aliam communionem colant, quam quæ extinctionem muruæ libidi-

bidinis intendit. Deinde nulla esset proportio inter deditum & poenam, si error hominis alicujus, qui in eligendo thori consorte magis ex infirmitate, quam ex insigni aliqua malitia se precipitavit, tanto animi cruciatu puniretur.

19. Ceterum que secundum ductum naturae in societate conjugali restant observanda, jam alibi fusi explicavimus, simulque decidimus: An naturae repugnet, nec ne *Polygamia*, vel *Uxorium communio*? Quo brevitas causa nos referimus, nec necessarium putamus theses nostras hoc transferendo repetere.

20. *Societas Paterna* secundum naturam respicit amorem rationalem inaequalem, ut supra eum definivimus, in quo parentes tenentur amorem suum ita erga liberos exercere, ut hi, quamdiu in imperfectione hæreut, reverentiam parentibus præbeant, & cum exemplis, tum monitis & institutis quotidianis parentum ex imperfessione emergant. Quare etiam parentes obligantur, ut ante omnia de liberorum emendatione cogitent, nec ullum aliud debitum, ullamve amicitiam huic obligationi præferant, quantumvis nil committant contra rectam rationem, si hanc liberorum educationem aliis commendent, modo emendationem liberorum hac ratione æque, vel melius quam per se ipsos expediri posse intelligant.

21. Hoc scopo jam plene obtento, liberisque ad actiones rationales parentibus ex æquo respondentes perductis; a ratione nequaquam abhorret, ut deinceps inter parentes & liberos amor tam aequalis oriatur, qualis unquam esse potest duorum amicorum intima familiaritate junctorum. Supra enim jam docuimus, quod omnis amor rationalis idemque inæqualis eo eniti debeat, ut in amore aequalis convertatur.

22. *Societas Herilis*, si rationalis esse debet, utrinque talis sit, ut neuter alterum contemnat, vel ulla ratione lèdat, sed alter alteri mutuam modestiam ac mansuetudinem exhibeat, & id quod alter alteri initio hujus so-

cie-

cietatis promisit, firmissime præstent, deinde omnia exquisitissima humanitatis officia sibi mutuo præbeant, atque offensiones ex infirmitate humana aliquando obrepentes patienter tolerent; alias enim dici non posset inter herum & servum amorem universalem inveniri, quem per superiores hypotheses semper in hac societate deprehendi oportet.

23. Iam si uterque & Herus & Servus tam felices sunt, ut deprehendant, quod eorum animi ex aequo sibi respondeant, & utrinque ad virtutem adspirant, necesse est ut deinceps propiori conjunctione in statum amoris rationalis particularis se transferre conentur. Id vero aliter non fit, nisi ut præter officia humanitatis per operosa vel pretiosa beneficia desiderium suum reciproce sibi aperiant. Unde in aprico est quod servus (*imo vallisimum mancipium*) idoneus sit, qui hero suo infinita beneficia exhibeat, id quod Seneca in libris suis de beneficiis prolixe persecutus est, & dubia hic occurrentia solide eruditeque enodavit.

24. Denique quod Civilem societatem attinet, itidem regulæ amoris universalis testantur, Rempublicam illam rationalem esse non posse, ubi Princeps subditis, & huius vicissim Principi officia Humanitatis, Veracitatis, Modestia, Mansuetudinis & Patientiae recusant, unde necessario consequitur, quod Princeps sapiens semper Subditorum suorum *euδγανρ* atque emolumentum querere debeat, Subditi vero vicissim elaborent, ut Principi onus imperandi spontanea submissione atque auxilio, absque dissidentia, invidia, & tergiversatione sublevent; Cumque non facile Respublica aliqua reperiatur, in qua non contineantur tria subditorum genera, Nobiles nimirum, Urbani, & Rustici, eam societatem civilem miserrimam ac valde irrationalem esse oporteat, in qua Nobiles Urbanos & Rusticos, vel utriusque Nobilitatem opprimere ac alter alteri incommode cogitant.

FINIS.



AB=33 ~~21~~
~~h~~
S

Fc 524







CHRISTIANI THOMASII,
Jcti, Regiae Majest. Borussiae Consiliarii,
in Univers. Fridericana P.P. dicta que Univ.
& Facult. ibidem Juridicæ
Senioris,

INTRODUCTIO IN **PHILOSOPHIAM MORALEM,**

Sive
DE
A R T E
RATIONALITER ET VIRTUOSE
AMANDI,
tanquam unicâ viâ ad vitam
beatam, elegantem ac tranquillam
perveniendi.

CUM PRÆFATIONE,

In quâ inter alia Autor colloquiorum curiosorum
menstruorum amicè monetur atque oratur, ne de rebus
captum suum transcendentibus judicet, sed Auto-
rem tandem missum faciat;

EDITIO NOVISSIMA

auctior & correctior.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Prostat venalis in Officina Libraria RENGERIANA:

1706.

